


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
VE RI TAS
CHRISTO ECCLESIAE

LUNDS UNIVERSITETS ÅRSSKRIFT. Band. 37. Afdeln. 1. N:r 4.

QVOMODO
PRONOMINA, QVÆ CVM SVBSTANTIVIS CONIVNGVNTVR,
APVD PLAVTVM ET TERENTIVM COLLOCENTVR,

EXAMINAVIT

MARTIN P:N NILSSON

LVNDÆ MDCCCCI
TYPIS IMPRESSIT E. MALMSTRÖM

LUNDS UNIVERSITETS ÅRSSKRIFT. Band. 37. Afdeln. 1. N:r 4.

QVOMODO

PRONOMINA, QVÆ CVM SVBSTANTIVIS CONIVNGVNTVR,

APVD PLAVTVM ET TERENTIVM COLLOCENTVR,

EXAMINAVIT

MARTIN P:N NILSSON

LVNDÆ MDCCCCI
TYPIS IMPRESSIT E. MALMSTRÖM

Constantius fund.

In hac commentatione non omnia pronomina, quæ cum substantiuo coniunguntur, tractata sunt, sed hæc sola: possessiua, demonstratiua *is hic iste ille*, *qui* relatiuum et interrogatiuum et indefinitum. Cetera omisi eo commotus, quod ut e labore fructus capiatur, una cum adiectiuis tractanda sunt, quibus hac in re similiora sunt quam iis pronominibus, in quæ nunc inquisiui. Hæc autem, etiamsi in re uniuersa cum adiectiuis consentiunt, tantum proprii habent et tot exempla præbent, ut de iis separatim disserere operæ pretium futurum esse sperem.

Aliam autem disquisitionem quam institui afferre operæ pretium non futurum esse credo. Quærebam enim, soleretne pron. ui peculiari elatum tali loco uersus poni, ut *ictum* reciperet. Qua in re poëtæ certas leges secuti non sunt. Nam quamquam pron. ui elatum sæpe ictu feritur, frequenter etiam pron. maxima ui elatum ictu caret, ex. c. Am. 535 ***quem égo mea óccidí manu***, 764 ***ego equidem ex te audiui et éx tua áccepí manu***, Cp. 447 ***ét tua ét tua húc ornatus reueniam ex sententia***, B. 599 ***Tuo ego ístæc igitur dicam illi periculo***, in chiasmo Cp. 740 ***Períclum uitæ méæ tuo stat perículo*** alterum ictu feritur, alterum caret etc. etc. Meminerimus in nostra poësi, cuius ratio tota ex accentu pendet, uerba ui peculiari elata sæpe ictum non habere, contra ea eum recipere, quæ uis sententiæ minus intendit, ut in uersu illo:

Att här *du* sitter, att *jag* helsar dig.

Quare idem in lingua latina, quæ etiam quantitatem syllabarum respicit, non licet? Porro pron., quod ui caret aut superuacaneum est, sæpe ictum habet ex. c. Am. 30 sq. ***Iouis sum filius, Contágione méi patris metuó malum***, B. 1105 ***Eugæ, socium ærúmnæ et mei mali uideo***, Mg. 135 ***deuortitur Apud súom paternum hospitem*** etc. etc., sequens ex. c. Am. 305 ***Né ego hic nomen méum commutem*** etc. etc. Aliter res se habet, cum pron. ictum in ultima habet, quod persæpe accidit, quoniam sequens in uersus exitu iambico sæpissime extat.

Principia huius commentationis facta sunt in seminario latino Lundensi, ubi adhortante Carolo Zander præceptore in has res inquirere cœpi, cui hoc loco debitas gratias ago. Postea et fines disquisitionis protuli, ut rem quam diligentissime exquirerem, et eruere studui, quomodo leges, quas sequitur lingua latina, cum iis cohærerent, quas linguam primigeniam habuisse uerisimile est. Qua in re dialectos quoque italicas adhibere haud inutile uisum est.

Procemium

de principiis uerborum in lingua latina collocationis.

Quid ad sermonem ualet collocatio uerborum? Conexum grammaticum, qui in hodiernis linguis magna ex parte e collocatione sola apparet, linguæ antiquæ terminationibus, quas frequentes habent, notant. Quam ob rem in his linguis certa collocatione uti, ut enuntiatum intellegatur, rarissime necesse est. Quam autem facile et celeriter enuntiatum intellegatur, multum differt; ad quam rem etiam in lingua latina collocatio uerborum plurimum ualet. Nam enuntiatum concinnum et bonum ita comparatum esse non licet, ut terminationes sequentem uix et ægre conexum extricare necesse sit, neque collocationem conexum obscurare licet, sed ad id, quod is qui loquitur enuntiato inesse uoluit, facilius intellegendum adiuuare opus est. E collocatione igitur uerborum *perspicuitas* et *concinnitas* enuntiati pendet. Ad hoc res omnibus nota pertinet: ab eo enim, quod antea notum est, enuntiatum incipere solet, quod quantum in linguis ueteribus ualeat, Weil [1]) imprimis æstimauit et ostendit. Quoniam subiectum antea notum esse solet, ab eo enuntiata pleraque incipiunt. Ad hanc rem id quoque pertinet, quod uerba, quæ conexu grammatico et logico inter se coniuncta sunt, quam proxima collocantur i. e. continuari solent, ut attributum iuxta substantiuum et obiectum accusatiuum iuxta prædicatum sæpissime ponatur. Cum enim obiectum accusatiuum proxime ad prædicatum pertineat et a plerisque uerbis, quæ proprie sic dicuntur, requiratur, ut obiectum accusatiuum eam ob rem artius cum uerbo suo quam attributum cum substantiuo coniunctum sit, nulla est causa cur obiectum accusatiuum ad uerbum minus quam attributum ad substantiuum se applicet. E lingua primigenia porro tradita lex est, ut uerbum quod aliud definit id quod definitur antecedat. Aduerbium adiectiuum, adiectiuum et genitiuus attributiuus substantiuum antecedunt [2]), obiectum accusatiuum ante prædicatum ponitur [3]), quæ collocatio etiam uocibus ad instar coniunctionum anti-

---

[1]) Weil, De l'ordre des mots[2], p. 20 sqq. præcipue.

[2]) Delbrück, Syntaktische Forschungen IV, p. 150 sqq., cf. III, p. 35 et 42. Grundriss der vergleichenden Grammatik V, 97 sqq.

[3]) Idem S. F. III, p. 24 sqq., Grundr. V, 80 sqq.

quissimarum compositis confirmatur, ut ABELIVS BERGAIGNE[1]) ostendit, siue uox composita coniunctioni attributiuæ[2]) respondet ut ἀκρόπολις, *albogalerus* et adiectiua composita, quæ *bahuvrihu* dicuntur ut βουκέφαλος, *magnanimus*, siue uerbo cum obiecto coniuncto respondet ut οἰκόφυλαξ, *auceps*.

Sed hæc lex uerba collocandi non stricte obseruatur ut in linguis turcicis; in lingua primigenia quoque uerba, quæ alia definiunt, etiam secuta sunt ex. c. appositio quæ uocatur[3]) et præpositiones. Hæ quidem in prosa oratione indica sequuntur, cuius collocationis uestigia etiam in linguis italicis et græca apparent; de illis disserit LEO[4]). In libris vedaicis et antecedunt et sequuntur[5]), quod rationemne antiquam referat, dubitari potest; certo etiam post subst. locum antiquitus habuerunt. Ratio huius uarietatis non plane obscura esse uidetur. Nam obiectum accusatiuum ad prædicatum accedere necesse est, et notio, quæ attributo adiecto substantiuo additur, necessaria solet esse et sententiam constituere; appositio autem sententiam potius explicat et planius exponit. Præpositiones quoque initio sententiam planius explicauerunt; cum autem numerus casuum decresceret et nouas rationes exprimere necesse esset, ad sententiam necessariæ fiebant; quod etiam e collocatione mutata apparet, cum in locum ante subst. transpositæ sint. Hæc collocatio reuera eadem est atque ea, de qua DELBRÜCK disserit S. F. III hoc nomine: *Der Satz hat eine Schleppe*, quamquam id interest, quod in exemplis, quæ is tractat, uerbum additicium (*die Schleppe*) uerbis interiectis post finem enuntiati ponitur, in his autem uerbum ad quod pertinet subsequitur. Porro etiam adiectiua quædam in lingua primigenia secuta esse DELBRÜCK putat[6]), ea quæ aliquam speciem significant, ut dicit ALBRECHT, qui ita esse in lingua latina demonstrauit[7]). Sed cum ad eam indica sola accedat, res satis incerta esse uidetur, quamquam etiam hoc aliquo modo cum ea quam proposui norma coniungi potest, si id adhibeas, quod l. l. disserit DELBRÜCK. Certo pronomina et adiectiua quædam, quæ frequentissime adhibebantur, antecedebant; nam in hoc magnus est consensus linguarum. Etiam hoc cogitandum est ob collocationem peculiarem[8]) adi. sequi posse, si subst. ui elatum anteponitur, quod quantum e significatione adiectiui pendeat, nondum diiudicatum est. Vtut est lingua latina in adiectiuis collocandis suas sequitur leges.

Si duo uel plura uerba idem uerbum definiunt, id, quod proxime ad uerbum

---

[1]) BERGAIGNE, Mémoires de la Société de Linguistique à Paris III (1878) p. 21 sqq.

[2]) Hoc nomine ut substantiuum una cum attributo designare mihi liceat peto, cum ea in unum comprehensa esse sæpe significare necesse sit.

[3]) DELBRÜCK, S. F. IV, 152; III, 42 cf. 36, Grundr. V, 198 sq.

[4]) LEO, Bemerkungen über plautinische Wortstellung und Wortgruppen, Nachr. der Ges. der Wiss. zu Göttingen, phil.-hist. Kl. 1895, p. 417 sq.

[5]) DELBRÜCK, Grundr. V, 104.

[6]) Grundr. V, 95 sq.

[7]) E. ALBRECHT, De adiectiui attributi in lingua latina collocatione, Diss. Marpurgi 1890.

[8]) Collocatio peculiaris = *occasionell* (DELBRÜCK), *rhetorisk* (JAHN); grammatica = *traditionell* (D.), *grammatisk* (J.).

definitum pertinet, proximum poni consentaneum est. Eam ob causam datiuus et cetera uerba, quæ prædicatum definiunt, ante obiectum accusatiuum poni debent. Quod in latina lingua sicne se habeat, non examinaui, nec si examinatur, multum euenire credo; sed in prosa oratione indica ordo hic solet esse[1]). Si duo attributa sunt, quorum alterum subst. solum, alterum notionem definit, quæ substantiuo una cum altero adiectiuo efficitur, iam apparet, quæ esse debeat collocatio. Sic articulus græcus et pronomina; ex. c. Eu. 151 *hosce aliquot dies*, Cas. 754 *illas malas merces*. Sed ordo etiam immutari potest, præsertim si adi. ui præcipua effertur ex. c. Men. 58 *Geminum illum puerum*. Nam cum fabula ex eo pendeat, quod Menæchmi gemini sunt, quam maxima ui *geminum* effertur, ut de hoc agi animaduertatur. Cum multa adiectiua sequi soleant, frequens est etiam ordo hic ex. c. Cas. 79 *illam puellam expositiciam;* rarius pron. quoque sequitur (cf. infra) ex. c. B 1150 *senem illum tibi dedo ulteriorem*. Si utrumque attributum adi. est, hic ordo inuenitur ex. c. Pn. 347 *in maxumam malam crucem*, sed sæpe mutatur[2]) ex. c. Am. 1013 *omnis ædis sacras*, Ph. 706 *ater alienus canis*.

Verba eo quo dixi modo in lingua primigenia locata esse uerisimile est, quamquam eam quoque haud parua libertate usam esse apparet, quæ in græca imprimis et italicis etiam magis gliscebat. In latina id fere solum restat, quod prædicatum in fine enuntiati ponitur — ut par est, cum uerba, quæ ad id pertinent, antecedere debeant, — et pronomina et adiectiua antiquissima antecedere solent; multa autem sequuntur. Ad hanc uarietatem augendam ualuit et arbitrium loquentis, qui uerbum et ut sententiam explicans et ut constituens sæpe efferre potuit, et collocatio peculiaris, de qua nunc agam.

Nunc ad alteram rem, quæ, ut enuntiatum bonum et concinnum fiat, seruari debet, transeo; grauitas enim obtinenda, et uerbum, quod ui præcipua effertur, etiam loco conspicuo, ubi accentum habet, ponendum est. Quoniam hic locus præter ceteros primus enuntiati est, eam ob causam collocationem grammaticam immutari necesse est, si hoc loco aliud membrum orationis ac subiectum ponitur, ut ui efferatur. Quamobrem hic locus uerbi ui elati proprius sit, uariis modis explicari potest. In initio orationis, cum uox eius qui loquitur fortissima sit, uerbum maxima intentione pronuntiari posse forsitan cogitauerit quispiam; mihi autem alia ratio magis uerisimilis uidetur. Verbum enim, quod ui effertur, quasi cardo est, in quo alia uertuntur, uel ut alia utar imagine, quasi punctum luminis, circum quod alia magis obscura uersantur. Cum igitur hoc uerbum præter cetera animo præsto sit, hoc primum pronuntiando erumpit, alia sequuntur. Nam hoc modo non id solum explicatur, quod uerbum ui peculiari elatum antecapitur, sed id quoque, quod uerbum, quod ad id quod præcedit se refert, primo loco ponitur, ut pronomina anaphorica: demonstratiua (*is* u. infra) et relatiua, et hoc modo subiecti quoque loci ratio redditur, a quo enuntiatum incipere solet. Si enim lex illa,

---

[1]) Delbrück, S. F. III, 24 sq.

[2]) Cf. eundem p. 35.

ut uerbum definiens uerbum definitum antecederet, stricte tenenda erat, subiectum post prædicatum poni debebat, quoniam subiectum prædicato definitur, quod BERGAIGNE [1]) animaduertit. Cum autem subiectum aut res antea nota sit, aut, si notum non est, ui efferatur, ut de aliquo noui agi animaduertatur, primum locum occupat, qui locus eius proprius factus est. Hæc etiam est causa, cur pron. interrogatiuum primum locum teneat, quod ad rem de qua quæritur pertinet, et eam ob rem uerbum grauissimum quæstionis est.

Verbum ui elatum primo loco poni et hanc causam collocationis peculiaris esse de prosa oratione indica antiquissima DELBRÜCK demonstrauit [2]). Hoc in omnibus linguis ita esse facile animaduerti potest; in nostris, quæ collocatione grammatica astrictiores sunt, circumscriptionibus sæpe opus est, ut uerbum ui elatum primo loco ponatur; ex. c. «honom var det, som jag träffade», «hvad den saken beträffar, så —»; subst. antecaptum pronomine repetitur «boken, den har jag haft», quod sermonis quotidiani proprium est.

Coniunctio attributiua si tota ui effertur ut uox una, eam ob causam in initio enuntiati poni potest; interdum autem ratio ea est, ut altera uox ui præcipua efferatur, ut uoces inter se ponderentur. Cum adi. antecedere soleat, subst. nimirum ui maiore effertur, si ante adi. ponitur; sed ratio adi. collocandi in lingua latina alia est, multaque sequi solent. Quo fit ut hæc adi. præcipua ui efferantur, si anteponantur. Ea quæ antecedere solent, postposita uim maiorem accipere putat D. ROHDE, qui eam legem statuit, ut adi. loco insolito positum ui maiore efferatur [3]). DELBRÜCK autem [4]) his locis putat subst. antecapi, quod uim maiorem habeat [5]). Discrimen luculenter apparet in pronominibus poss., quæ aliqua ui prædita antecedere solent, accentu priuata sequuntur.

Quodsi uis hoc modo non satis augetur, traiectione etiam maior fieri potest. Quæ collocatio in lingua latina satis frequens e peculiari orta est; altera causa ea est, quod uerba atona uerbis accentu elatis summitti solent, de quo infra. Si enim altera uox coniunctionis attributiuæ ui præcipua effertur, hæc sola ponitur in initio enuntiati altera loco suo manente, quo facto disiunguntur; ex. c. B. 599 *Tuo ego istæc igitur dicam illi periculo;* subst. anteponitur ex. c. Cp. 838 *Cedo manum* # *Manum?* # *Manum, inquam, cedo tuam actutum.* Sed ad uim augendam altera uox non solum in initio enuntiati, sed aliis quoque locis collocari potest, dummodo a uoce disiungatur ad quam pertinet. Traiectione uim augeri consentaneum est, si rei naturam consideres, dummodo uerbum eiusmodi sit, ut uerbum sequens requiratur, ad quod se applicet. Si enim audias B 599, subst. sequi, ad quod

---

[1]) BERGAIGNE, l. l. p. 134 et 138.

[2]) DELBRÜCK, S. F. III, cf. Grundriss V, 38 sqq.

[3]) D. ROHDE, Adi. quo ordine etc. progr. Hamburgiæ 1884, p. 2; eum sequuntur ALBRECHT l. l. p. 36 et SCHMALZ, Handb. d. klass. Altertumswiss. II[3] 2, 468.

[4]) DELBRÜCK, Grundriss, V, 98.

[5]) Ea est causa cur subst. in enumerationibus antecedat; ALBRECHT, l. l. p. 36, III; cf. rationes templorum φιάλη χροσῆ etc.

pron. *tuo* se applicet, necesse est; quare *tuo* usque animo obuersatur, dum cetera uerba pronuntiantur, quoad *periculo* auditur, et sic animo melius infigitur, etiamsi loco primo non extet. Cp. 838 autem uis substantiui ex eo tantum pendet, quod anteponitur, cum pron. necessarium non sit. Hæc expectatio, quam LINDSKOG recte æstimauit et ut causam attulit, cur prædicatum in fine enuntiati collocaretur [1]), forsitan aduocari possit, ut explicetur, cur uerbum definiens ante definitum ponatur. Cum enim uerbum definiens aliud sequens requirat, sic uerba artius coniunguntur et ea inter se pertinere melius apparet.

Accedit tertia res multo difficilius æstimanda, quæ ad collocationem uerborum multum ualet; euphoniam dico. Hæc causa est cur uerba atona accentu elata subsequi soleant, uelut pron. poss. accentu priuatum subst. suum sequi solet; in coniunctionem attributiuam uerba atona inseruntur, quæ ipsa accentu priuata uim uocis antecedentis notant, ex. c. *tuopte ingenio*, *mea quidem sententia* etc. Quid ualeat euphonia, maxime in eo apparet, quod uerba atona præter cetera ad primum uerbum enuntiati se applicare solent, etiamsi ad id non pertinent; quam legem iam attigerunt BERGAIGNE [2]) et DELBRÜCK [3]), recte exposuit WACKERNAGEL primus [4]), eamque e lingua primigenia prouenisse demonstrauit. Præterea ægre diiudicatur, quid euphoniæ debeatur. Ab ea pendere credo quod substantiua quædam monosyllaba ut *res*, *uis* etc. ante adi. poni solent [5]).

Hæc principia omnibus nostris linguis communia esse uidentur, a quibus collocatio uerborum latina quoque profecta est; in multis autem rebus ratio uetus immutata est, quas iam attigi et nunc forsitan fusius exponere operæ pretium sit. De collocatione attributi et de traiectione, quæ in lingua latina frequens est, iam dixi. Linguæ latinæ magis proprium, etiamsi in aliis quoque inuenitur, id esse uidetur, quod uerba, inter quæ ratio aliqua intercedit, ut aut contraria sint aut inter se suppleant, quam proxima ponuntur [6]). Quod per se consentaneum et par est, cum ratio ea collocatione quam optime animaduertatur ex. c. Mrc. 821 *uxor uirum si clam domo egressast*, sed in lingua latina magis gliscebat quam in aliis. Si cum utroque uerbo attributum coniunctum est, chiasmus fit ex. c. Mrc. 713 *iubet saluere suos uir uxorem suam,* Tn. 571 *nunc tuam sororem filio posco meo;* et si ratio in attributis posita est, ea quam proxima ponuntur ex. c. elog. Scipionis Hispani *Virtutes generis mieis moribus accumulaui*, Pn 879 *Scin tu erum tuom meo ero esse inimicum capitalem?* Hanc rationem collocationis propriæ, præsertim si

---

[1]) C. LINDSKOG, Beiträge zur Geschichte der Satzstellung im Latein (Acta Vniuers. Lund. XXXII) p. 6. Sic enim enuntiatum unum esse intellegi. Quod etiam in coniunctionibus attributiuis apparet; attributum enim aduerbio uel substantiuo expressum inter aliud attributum, si quod est, et subst. inseri solet. De enuntiatis relatiuis quibusdam u. infra.

[2]) BERGAIGNE, l. l. p. 178 de pron. pers. græcis.

[3]) DELBRÜCK, III, 60 de pron. indicis, u. nunc Grundr. V, 49 sqq.

[4]) J. WACKERNAGEL, Über ein Gesetz der indogerm. Wortstellung. Indog. Forsch., I, 333 sq.

[5]) ALBRECHT, l. l. p. 38.

[6]) De hoc confer LEONEM l. l. p. 433, cui in hac parte procemii multa me debere grato animo profiteor.

uerba eiusdem stirpis uel formæ eiusdem uerbi extant, adesse apparet, quia ipsa significatione alterum ad alterum se refert, ex. c. B 546 *ex ingenio malo malum inueniunt suo.* Tn. 1069 *Hem quis est qui mentionem facit homo hominis optumi.* Etiam hoc modo chiasmus fit ex. c. As. 210 *meo de studio studia erant uostra omnia.* Cas. 600 *Tuam arcessituram esse uxorem uxorem meam*[1]). Quo est lingua latina amore talis rei, etiamsi ratio nulla intercedit, uerba eiusdem soni quam proxima ponuntur; interdum lusui uerborum debetur. Ex. c. Crc. 462 *nugatorem lepidum lepide hunc nactust.* Allitteratio quoque quæ uocatur ad collocationem immutandam ualet, quamquam hoc difficilius certis exemplis confirmatur, ex. c. Cst. 748 *Eloquere unde hæc sunt tibi cito crepundia,* Ep. 403 *Diuortunt mores uirgini longe ac lupæ.* Interdum ratio quæ intercedit allitteratione uerborum magis ostenditur ut Mg. 508 *Quod concubinam erilem insimulare ausus es* ***Probri pudicam.*** Hæc principia fuerunt studii in lingua latina late patentis uerba aliquo modo similia quam proxima ponendi, ut rem generatim dicam. Ex. c. si substantiuum bis in enuntiato repetitur, u. ex. allata et Cp. 645 *Philocrates iam inde usque amicus fuit mihi a puero puer;* prædicatum St. 698 *utram tibi lubet etiam nunc capere cape prouinciam.* Aliud principium, a quo hoc studium profectum est, fuit figura etymologica quæ uocatur, in qua accusatiuus, si uetus collocatio asseruatur, prædicatum ipsum antecedit. Ex. c. Aul. 592 *qui amanti ero seruitutem seruit.*

In pronominibus imprimis hoc studium apparet, quæ persæpe continuantur ex. c. B. 503 *Ne illa illud hercle cum malo fecit suo,* 510 *Qui ad hunc modum hæc hic quæ futura fabulor;* cf. scholas Reisigii[3] § 208 in fine et § 470 in fine Hoc ad collocationem solennem pronominum possessiuorum interdum ualere u. infra. In exemplis allatis pronomina forma simili erant, quare hoc ad ea continuanda ualuisse consentaneum est, ad quod lingua latina semper prona est; sed etiam alia pronomina quam proxime accedere solent, ut formæ variæ pronominum personalium, ex. c. Crc. 163 *Sisto ego tibi me et mihi contra itidem ⟨tu te⟩ ut sistas suadeo*[2]). Pronomina personalia et possessiua continuantur ex. c. Mg. 157 *ego uostra faciam latera lorea*[3]). In talibus quoque exemplis ratio, quæ inter pronomina intercedit, magni momenti est et principium eam fuisse uerisimile est. Cf. ex. c. Cas. 328 *tua mihi odiosast amatio,* ubi pronominibus contrarii quiddam inest; in aliis autem ut in exemplis ex B. supra allatis talis ratio non inuenitur.

Hoc studium uerba similia quam proxima collocandi etiam magis apud poëtas elegiacos apparet, apud quos omnibus notum est. Nomina propria ex. c. Ou. Trist. III, 8, 6 *siue tuas, Perseu, Dædale, siue tuas;* adiectiua Tib. I, 1, 3 *Quem labor adsiduus uicino terreat hoste.* Si uoces, quæ quam proximæ ponuntur, cum suo quæque

---

[1]) Res eadem est in linguis osca et umbrica ex. c. c. Ab. 53 *atttiúm alttram alttrús herrins*, 18 u. p. 11; chiasmus t. Ig. VI a 2 u. p. 10; cf. Leonem l. l.

[2]) Magna copia exemplorum in dissertationibus de pronominum collocatione Mahleri (Gryphisualdiæ 1876) et Reinii (Lipsiæ 1879) inuenitur.

[3]) Alia exempla u. apud Kæmpfium De pronominum personalium usu et collocatione (Berolini 1886) p. 19 sqq., qui, quo ordine collocari soleant, eodem loco exhibet.

attributo coniunctæ sunt, talis collocatio iam eo effici potest, quod altera coniunctio attributiua ordine inuerso ponitur, quo facto chiasmus fit ut in exemplis allatis; sæpe autem membrum alterius coniunctionis in alteram inseritur ut Prop. I, 3, 9 *Ebria cum multo traherem uestigia Baccho*, quo loco primum attributa ponuntur, deinde substantiua, Hor. Od. I, 9, 21 sq. *Nunc et latentis proditor intimo Gratus puellæ risus ab angulo*[1]), uel altera coniunctio inter membra alterius ponitur ex. c. Prop. I, 3, 4 *Libera iam duris cotibus Andromede.*

De chiasmo iam uerba feci, qui quantum ad uerborum in lingua latina collocationem ualeat, NÆGELSBACH[2]) exhibet. Hæc collocatio nec simplex est neque ea, quam rei natura adferat, quare in certis causis positum est, quod in lingua latina tam frequens est. De principiis, a quibus profecta est, supra dixi. Cum talibus locis iam magis frequentata, ut ratio contraria uerborum quam optime animaduerteretur, ad quam efferendam lingua latina usque quaque prona est, figura, qua oratio elegantior fiebat, esse uideretur, ad alios quoque, ubi contrarii quicquam non erat, transferebatur et frequentior fiebat. Id quoque accedit, quod chiasmo adhibito uariatio grata uerborum inest, ut NÆGELSBACH l l. bene exposuit.

Si inter uerba per chiasmum posita ratio contraria intercedit, eo fit ut uerbum ui elatum postponatur, etiamsi hic locus non sit, ubi ui effertur. Sic pron. poss. ui elatum antecedit, in chiasmo autem sequi potest ut Am. 409 sq. *cur non intro eo in nostram domum? Quid, domum uostram!;* 494 sq. *Non par uidetur facere delictum suom Suamque ut culpam expetere in mortalem sinat.* Contra Crc. 105 sq. *Sed quom adhuc naso odos obsecutust meo, Da uicissim meo gutturi gaudium* chiasmi causa *meo* ante *gutturi* positum est, quamquam pron. poss., si ui caret et subst. ui effertur, sequi solet. Chiasmum sæpe adhiberi iam dixi, etiamsi ratio nulla intercedit inter ea uerba, quæ per chiasmum ponuntur; itaque sæpe fit ut uerba per chiasmum posita ui præcipua non efferantur, cum orationem elegantiorem solum efficiat; u. exempla ex poëtis elegiacis supra allata; neque uerba chiasmi semper ui inter se contraria efferuntur, sed interdum ambo alii uerbo opponuntur ut Am. 494 (u. supra), et si quæ notio repetendo ui præcipua efferenda est, etiam chiasmus adhibetur ut Ht. 25 *Arbitrium uostrum, uostra existumatio Valebit.* Interdum uerba chiasmi magis artificiose collocantur ex. c. B. 585 *Alieno uiris tuas extentes ostio?* In plerisque tamen exemplis, in quibus pronomina extant, rei natura fert, ut ratio quædam contraria insit; chiasmus, qui solum ad orationem uariandam ualet, præcipue in iis exemplis apparet, ubi attributa adiectiua sunt ut apud poëtas elegiacos; apud comicos autem rarior est. Quodsi ratio contraria adest, uerba, quæ per chiasmum ponuntur, idem membrum orationis esse necesse non est, cf. ex. c. Tn. 167 *Me absente atque insciente, inconsultu meo;* etiam liberius Mo. 991 sq. *Li-*

---

[1]) Eiusmodi collocatio est Aul. 107 *Nam noster nostræ quist magister curiæ,* si uersus corruptus non est. GVYETVS pro *noster nobis* scribere uoluit, uerisimilius SEYFFERT *Nestor* Philol. XXVII, 433.

[2]) NÆGELSBACH, Lat. Stil.[8], p. 635 sqq.

bertas pænulast tergo tuo: Mihi, nisi ut erum metuam et curem, nil est qui tergum tegam i. e. meo autem tergo nullum tegimen est.

Quoniam poëta est, apud quem collocationem uerborum ex parte cognoscere mihi proposui, ad alteras res, quæ collocationem uerborum constituunt, metrum accedit. Quod multi apud comicos quidem denegauerunt aut angustis terminis coercere conati sunt, metrum poëtæ uim adferre non licere dicentes. Id tamen constat metro semper quandam necessitatem impositam esse, quæ etiam in uerbis collocandis deprehenditur et in omnibus linguis apparet. Nostram consideremus, in qua poëtæ uerba tali modo collocant, quali in prosa oratione licitum non est aut saltem rarum; hoc sæpe fit metro non cogente, ut oratio elegantior et magis poëtica uideatur. Eodem modo res apud poëtas latinos aureæ ætatis se habet. Confer quæ supra de elegiacis dixi. Vergilium duo uerba, quæ inter se pertinent, ita collocare amare, ut alterum in initio, alterum in fine uersus sit, Kvíčala exhibet[1]) ex. c. Æn. I, 91 *Præsentemque uiris intentant omnia mortem.* Sæpe in initio duorum uersuum uerba, quæ ἐκ παραλλήλου esse dicuntur, inueniuntur ex. c. Æn. I, 116 sq. *Voluitur — Torquet —*. Is tamen nec similitudinem, quæ inter Vergilium et poëtas elegiacos hac in re inuenitur, neque eas quas exposui rationes respexit, quæ etiam apud Vergilium maximi sunt momenti.

Idem studium collocationis elegantioris prosæ quoque orationi inest; apud comicos quoque rem eandem esse uerisimile est; rationes ueras Leo l. l. 432 sqq. exposuit: «Die verschränkte Wortstellung ist für Plautus bereits ein Kunstmittel, wie es eines der wichtigsten in der Poesie der augusteischen Zeit ist». Idem collo cationem magis artificiosam in canticis præcipue deprehendi monuit, ubi metro elegantiore et oratione elatiore etiam magis consentanea est. Ex. c. Cas. 855 *eximus intus Ludos uisere huc in uiam nuptiales,* Cp. 229 sq. *Nam tu nunc uides pro tuo caro capite Carum offerre* ⟨*me*⟩ *meum caput uitilati.* Sed etiam in diuerbiis hoc deprehenditur, cf. Ht. 99 sq. *cœpi non humanitus Neque ut animum decuit ægrotum adulescentuli Tractare*, ubi *animum* in enuntiatum secundarium insertum est.

Quid ualeat metrum ex eo optime apparet, quod formæ iambicæ quædam præcipue in fine uersus uel coli ponuntur in iambum exeuntis, sed eo metrum poëtæ uim adferre dici non potest. Verba Leonis iterum affero «der Dichter verwendet solches Zueinanderneigen von Sprache und Metrum nur als ein Mittel, den Wohllaut des Satzes und des Verses auszugleichen»; ex metro autem hæc collocatio pendet. Quæ alia causa inueniri potest, cur formæ iambicæ pronominum possessiuorum subst. sequentes apud comicos sæpe a substantiuo disiungantur, quod in prosa oratione rarissimum est, et, si id fiat, paucis locis exceptis, in fine uersus po nantur? Etiam aliæ formæ finis uersus (uel coli) iambici propriæ sunt ex. c. inf. in *-ier*, pf. pl. 3 p. *e* breui (excepto Poen. 21).

---

[1]) Kvíčala, Neue Beitr. zur Erklärung der Æneis, p. 274 sqq.

Plerumque autem, quid metrum ualeat, difficilius ostenditur, et tantum iudicio optimo locis singulis discerni potest.

Hæc collocatio adiectiuorum, de qua nunc locutus sum, etiam in aliis linguis italicis inuenitur, quod ex inscriptionibus oscis et umbricis apparet. Eæ enim ad normas antiquas non modo non propius accedunt, sed cum latinis consentiunt. Hoc tenendum est inscriptiones, quarum grauissimæ leges sunt, sermonem popularem non referre, sed proprias quasdam normas sequi, quæ eædem in legibus romanis inueniuntur. Ii enim, qui leges scripserunt, res quam maxime definire et explanare studuerunt, quod ea collocatione uerborum assequi conati sunt, ut primum ponerent notionem magis generatim dictam, deinde aliam, quæ hanc definiret; cf. ex. c. enuntiata relatiua. Eandem causam esse puto, cur adiectiua in legibus multo sæpius quam alias sequantur. Catonem in libris de agri cultura hoc ordine uti nihil est quod miremur, cum is rusticis leges præscribat. Vt Cato[1]) ita inscriptiones oscæ et umbricæ etiam ea adiectiua summittere possunt, quæ secundum eam quam proposuerunt ALBRECHT et DELBRÜCK normam antecedunt; ex. c. *tirentium magiium sulum* 130, *uia ecla* VII a 11, 27[2]).

Pæne semper sequuntur ea adiectiua, quæ a nominibus propriis ducta sunt. Exempla plus quam ducenta sunt, et ea quæ excipiuntur aut propriam excusationem habent, aut incerta sunt. Apparet has linguas ut latinam chiasmo uti ad sermonem expoliendum. Quinquies ex. c. I b 16 legimus *tuta tařinate trifu tařinate turskum naharkum numem iapuzkum numem* (interdum *numem* loco priore omittitur) (cf. VI a 2, 4, 17 *parfa dersua curnaco dersua peico mersto peica mersta mersta auuei mersta angla esona*). Ne duo attributa sequentia grauius sonent, adi. antecedit, ubi etiam genitiuus ad subst. pertinet: II a 21 et 35 *petruniapert natine fratru atiieřiu*, II b 27 *vuçiiaper n. fr. a.*; præterea uis quædam secernens h. l. adiectiuo inest. Etiam uis mihi aucta esse uidetur in prece VI b 27 et 35 *tefre iouie tiom esu sorsu persontru tefrali pihaclu*. Interpretatio incerta est *fiisiais pümperiais prai mamertiais pas set* 131, 132. BÜCHELER et v. PLANTA putant *fiisiais* et *mamertiais* inter se contraria esse, quo etiam collocatio explicatur. *fisiais eiduis luisarifs* 130 collocatio forte ex eo pendet, quod subst. inter duo adiectiua ponitur, si cum BÜCHELERO facimus; cf. v. PLANTA II, 80 a 3.

Cetera adiectiua etiam sequi solent; exempla sunt pæne 150. Sed pauca, quæ in sermone quotidiano frequentia fuerunt neque «aliquam speciem significant», antecedunt (34 ex.) ut *minstreis aeteis eituas* 17, 12, 27; *maimas carneis senateis* 17, 3, 7; *mestru karu fratru atiieřiu* V a 24, 27 et *fr. a. m. karu* V b 4. Adi. quæ *dexter* et *sinister* significant, antecedunt (8 ex.) nisi VI b 24 *mani nertru*. Porro *pústreí iúkleí* 135 I, II, sed 141 bis *pumperias pustmas kluvatium; r[ehtúd] amnúd*

---

[1]) ALBRECHT, l. l. p. 34.

[2]) Vsus sum ea collectione inscriptionum oscarum et umbricarum, quam in uolumine altero artis grammaticæ edidit R. v. PLANTA. Numeri romani ad tabulas Iguuinas spectant.

127, 16; *múíníkad tanginúd* 127, 15, 50 communem esse sententiam forte effertur. 127, 18 *idík terúm múíní[kúm] múíníkei terei fusid* adiectiua similia quam proxima ponuntur. *túvtíks* in inscr. oscis semper sequitur et VI a 12 *tuderor totcor*, sed 10 bis *todcome tuder*, 11 *todceir tuderus*. Cetera ex. in tab. Ig. extant. *sestentiaru urnasiaru* III, 3 *plenasier urnasier* V a 1, 15. *sorsu persontru* VI b 28, 31, 35; altero ordine 24; *uirseto auirseto uas* VI b 31. *peracris* sæpe antecedit: *esu bue peracri pihaclu* octies, cf. VI b 52, 56. Exemplum chiasmi supra attuli.

Cardinalia ut in inscr. latinis[1]) et ordinalia sequi solent. In tab. Ig. id mirum est, quod in prioribus sæpius antecedunt, in posterioribus sequuntur (I ante 10, post 1, II 3, 1, III 2, 0, IV 1, 0, V 0, 14, VI 1, 12, VII 0, 5), quod arbitrio ascribendum esse uidetur; nam non uideo, cur extet I a 3, 11, 20 *tre buf*, b 1, 4 *trif vitluf turuf*, sed VI a 22, b 1 *buf treif*, VI b 43, 45 *uitlu toruf tref* etc.

Pronomina demonstratiua locum suum ante subst. habent (71 ex.). Pauca excipiuntur, quæ consentiunt cum eo, quod ALBRECHT[2]) de pron. *hic* sequente dicit: ea collocatione aliquam rem magis manifeste ostenderi. Nam pron. ad id se refert, in quo inscriptio insculpta est 29, 5 *tríibúm ekak*, 191 hoc uel aliud subst. ante pron. addendum est, 34 *passtata ekak*, 132 pron. additur, 202 quo uno loco aliud pron. sequitur [*aram*] *iace;* enumerationem antecedit 200 *aasas ekask eestint húrtúí*. 254 *puus ecic lexe lifar* in inscr. funeraria traiectio est, quæ ut apud Plautum uim monstrandi auget.

Pron. possessiua satis sæpe et ante (10 ex.) et post (16 ex.) subst. ponuntur; discrimen idem atque apud Plautum esse uidetur. In uerbis sollennibus *futu fons pacer pase tua* (12 ex.) *tua* ad sententiam haud magna ui est, sed ad abl. modalem addi necesse uidetur (cf. infra); item VI b 61 *pase uestra*. 127, 35 *senateis suveís tanginúd* pron. necessarium, sed ui parua est; 8 sq. *píus senateís tanginúd suveís pútúrúspíd lígatús fufans* pron., cui uis discernens inest, a uerbo *pútúrúspíd* attractum est. 128, 1 *heriam suvam* et 11 *tuvai leginei* sententia parum perspicua est. Restant uerba sollennia (4 ex.) VI a 27 sq. *persei tuer perscler uaseto est — tuer perscler uirseto auirseto est*, ubi pron. necessarium est et in prece extat (cf. infra). Dubia est uox *svesu*.

Cetera pron. raro occurrunt: 17, 8 *pis — meddis* ceteris uerbis enuntiati insertis ut in lingua latina; 19 *poizad ligud;* V b 2 *panta muta*. Pron. indef. a substantiuo disiungitur 17, 12, 18, 26. *esu bue peracri pihaclu etru* VI a 35, 38, 43; ui maiore elatum antecedit II b 2 sqq. octies *atiiefiate, etre atiiefiate* etc.

Pronomina possessiua.

Conspectum exemplorum hunc primum affero, in quo indico sub a) numerum eorum exemplorum, in quibus neque coniunctio attributiua uocatiui casus est, neque

[1]) ALBRECHT, l. l. p. 18.

[2]) ALBRECHT, l. l. p. 3; cf. infra de pronomine *hic* sequente.

adi. inter pron. et subst. intercedit, sub b) affero coniunctiones attributiuas uocatiui casus, sub c) ea ex. ubi adi. inter pron. et subst. intercedit.

Pron. extat		Ex. Plautina. iuxta subst. ante	post	separatum ante	post	Ex. Terentiana. iuxta subst. ante	post	separatum ante	post
meus *tuus* *suus*	a)	828	770	392	345	195	125	60	70
	b)	165	78	2	—	60	16	—	—
	c)	125	23	—	—	7	2	—	—
noster *uoster*	a)	120	68	53	26	46	30	13	7
	b)	1	—	—	—	4	1	—	—
	c)	12	1	—	—	2	—	—	—

Nimirum hos numeros plane certos esse non affirmo, sed tot fere exempla quot sunt indicant. Nam in tanta copia exemplorum facile fieri potest, ut paululum erretur, quamquam sedulo curaui, ne incerta neue ea admitterem, quæ coniecturis non certis restituuntur. Porro de aliis alii aliter iudicant. Ex. c. hiatum talem *méi honóris* KLOTZIVM et SEYFFERTVM legitimum esse euicisse puto, quare eiusmodi exempla in numerum comprehendere non dubitaui. De uerbis encliticis *que* aliam rationem habet atque cetera; nam *que* neque ad uim augendam inseritur, ut *pte*, *met*, neque alio loco collocari potest ut *est ('st)*. Ergo *pte*, *met*, *est* dedita opera inseruntur, non *que*, quod locum necessarium habet. Quamobrem exempla, in quibus *que* intercedit, separatim tracto.

Pronominibus possessiuis certum locum ascribi non posse ex tabula apparet, quoniam fere totiens post quotiens ante subst. collocantur. Hoc imprimis in pronominibus *meus tuus suus* ita se habet uocatiuo excepto, qui casus plus quam duplo maiorem numerum præbet exemplorum in quibus pron. antecedit[1]). Pronomina *noster* et *uoster* sæpius ante quam post subst. ponuntur; quod cur ita sit, quæritur. Si pron. poss. subst. subsequebatur, tam arte cum eo coniungebatur, ut, si per formam fieri licebat, accentu priuaretur. Hoc enim dubium non est, quin pronomina possessiua, nisi uis peculiaris adderetur, perparua uocis intentione pronuntiata sint; quare si subst. subsequebantur, ea enclitica facta esse consentaneum est[2]). Cf. ex. c. *Phílolachés uolŭptás mea*, Mo. 249, *maxumó maló suo* R. 775, qui exitus uersus, nisi *malo suo* unius uerbi instar est, legitimus non est. Quodsi pron. subsequens forte maiore ui præditum est ut in contrariis, suo accentu efferendum est, ex. c. R. 239 *Socia sum nec minor pars meast quam tua*. Pronomina *noster* et *uoster* quoniam grauiora erant quam formæ illæ pyrrhichiæ et iambicæ, grauiorem quoque accentum seruabant; quam ob rem cum non tam facile substantiuo accentu priuata subiungerentur, ad hunc locum non tam propensa erant quam cetera. De uocatiuis hoc non ualet, cum longe plurima exempla formas *mi* et *mea* præbeant; sed h. l. pron. ad amorem significandum anteponitur u. infra p. 70 sqq., DELBRÜCK, Grundriss V, 91.

---

[1]) In epistulis Ciceronis uocatiui *mi* et *mea* duobus exceptis locis antecedunt, ALBRECHT l. l. p. 9.

[2]) LINDSAY, De lingua latina III, 12 a. 3, Class. Rev. V (1891) p. 404.

Quid sibi uelint uariæ collocationes pronominum possessiuorum, ex parte iam ALBRECHT statuit, sed apud eum nulla exempla pronominis disiuncti inueniuntur nisi pauca, ubi *quidem* insertum est, neque ex iis paucis exemplis, quæ ex quattuor comœdiis Plautinis sumpsit, quicquam apparet. Hæc est lex, quam effecit l. l. p. 8 ROHDIVM l. l. p. 4 secutus «hæc pronomina in uniuersum secundum locum tenent; ubi autem ui efferuntur, ante subst. ponuntur», quæ de usu scriptorum prosæ orationis uera est. Apud Plautum autem et Terentium non prorsus ualere statim exemplis inspectis apparet; nam multa inuenimus exempla, in quibus pron. poss. subst. ipsum antecedens ui non effertur; porro exquirendum est, quid a substantiuo disiunctum ualeat. Si quidem pron. antecedit, id seiunctum etiam maiore ui efferri uerisimile est, cum pron. subst. ipsum antecedens ui efferatur et uis disiungendo augeatur. Cum autem apud comicos pron. subst. ipsum antecedens non semper ui efferatur, hoc pro certo affirmari non potest. Pron. si uerbis interiectis sequitur, eo magis quasi sui iuris esse et efferri crediderit quispiam, quod ita non esse infra uidebimus.

Vt, antequam exempla percensemus, aliquo modo appareat, quæ uis collocationibus pronominum possessiuorum insit, ab re non abest exempla quædam inter se comparare, ubi cum eodem substantiuo uarie coniunguntur.

Verbis *meo periculo* aliquem periculum, in quo alius uersatur, ipsum suscipere aut eum ipsum neque alium periculum subire significatur, quamobrem uis pronomini innata est; 11 ex. sunt, ex. c. As. 457 *Da modo meo peric⟨u⟩lo,* quorum B 752 *Mea fiducia opus conduxi et meo periclo rem gero* et R. 1393 uis anaphora [1]) augetur. Aliis locis si uis maior efficienda est, a substantiuo disiunctum antecedit B. 599, Cp. 740 (chiasmus) *Periclum uitæ meæ tuo stat periculo*, R. 436, Ht. 323 *Tuom esse in potiundo periclum non uis* i. e. proprium, alios autem id subire cupis. Numquam pron. poss. hanc uocem sequitur.

Pronomini apud uocem *arbitratus*, siue quis rem suo siue alterius arbitrio committit, uis semper inest, quod inter eius et alterius uoluntates ratio quædam contraria intercedit, quæ modo obscurior est (ex. c. si urbanitatis causa ad rogatum respondetur *Tuo arbitratu* ut Aul. 647), modo ex sententia facile colligitur (ex. c. As. 328 *mansero Tuo arbitratu*), modo uerbis expressa est. 21 locis subst. ipsum pron. antecedit, quorum in quibusdam ut As. 766, B. 994, Cp. 494 uis præcipua maior quam in aliis est; chiasmus R. 1355 *Meus arbitratust, lingua quod iuret mea.* Verbis disiunctis uis augetur; *ne* inseritur in quæstionem indignantis Ep. 688 *Tuon arbitratu?*, *usque* uim auget intercedens B. 1126 *sine suo usque arbitratu* et Mo. 793. Vno loco, ubi uis contraria quam maxime imminuta est, pron. subsequitur Am. 931 *Mane, arbitratu tuo ius iurandum dabo.* Etiam antecedit genitiuus attribut., qui hanc

[1]) NÆGELSBACHIVM sequens (Lat. Stilistik[8] p.638 sqq.) anaphoram adesse dico, ubi in duobus (uel pluribus) coniunctionibus attributiuis ambo attributa aut antecedunt aut sequuntur; contrarius igitur chiasmus est.

uocem definit, Ps. 271, R. 1002, 1002 sq., 1035; uerbis interiectis R. 1005. Vox ipsa omnibus locis nisi As. 766 et R. 1355 ablatiuo casu extat.

Significatione finitima sunt uerba *meo modo* (5 ex.). Verbis interiectis Mn. 250 *non tuo hoc fiet modo*, Pr. 374, Tn. 827 *meo usque modo*.

Si *mea gratia* uel *mea causa* dicitur, pron. maioris est momenti. Quamobrem *gratiæ* uocem pron. semper antecedit, 5 ex.; quater ui maiore etiam disiungitur, ex. c. Pr. 537 *Mea quidem istuc nil refert: tua ego hoc facis gratia.* Vocem autem *causæ* interdum subsequitur; sed ex his exemplis pron. ui elatum non sine causa postponi optime apparet[1]). Pron. enim non nisi uersum concludit sequitur (11 ex.). Orc. 150 in uersu cretico idem licet; uno loco, ne uersus claudicet, disiunctum postponitur in fine uersus Mrc. 151 *qui me rupi causa currendo tua.* Plerumque autem ante subst., ut par est, inuenitur (19 ex.); uis præcipua est Eu. 481 et Hc. 593. Decies ui maiore elatum pron. a substantiuo disiungitur, ex. c. Mg. 1352 *Tua ego hoc causa dico.* (*Quidem* post pron. additur Mn. 727, Pr. 282, R. 139, *ne* Cp. 845, 853, Pr. 747). Sæpe cum hac ui magna significatio contemptus coniuncta est, ut eadem opera is qui appellatur indignus esse dicatur, cuius causa aliquid fiat (cf. infra p. 20), ex. c. Aul. 85 sq. *Mirum quin tua* [*nunc*] *me causa faciat Iuppiter Philippum regem.*

Eodem modo adhibentur *meis uerbis* et *uerbis meis*, ubi pron., etiamsi ui non effertur, plus quam necessarium est; plerumque tamen *uerbis meis* uersum claudit (septies, semel in fine coli). Si uersum non claudit, ordo alter est *tuis uerbis* Ep. 625, Mg. 913, Pn. 407; cf. *matris uerbis* Mg. 1185, sed *uerbis patris* in fine uersus Tn. 772. Cas. 272 *uin tuis Chalinum huc euocem verbis foras Tu eum orato, ego autem orabo uilicum*, pron. uim maiorem habet, quare a substantiuo separatur.

Apud uocem *culpæ* collocatio eadem quamquam liberior est. *Mea culpa* sexies uerbo interiecto legitur, Ep. 587 ui magna; sed Merc. 774 *culpa mea* uersum claudit. B. 1188 *culpa tua* in anapæstis, causa cur pron. postponatur, reperiri non potest, nisi licentia metri ipsius. Interdum pron. in fine uersus disiunctum ponitur Cp. 803 *propter culpam capiatur suam*, Ep. 729, Eu. 980. Mrc. 626 *Di sciunt culpam meam istanc non esse ullam*, ubi uis magna est, pron. melius ad prædicatum refertur.

Sententia. Pron. ui contraria effertur si quis quem alloquitur, ut de duabus sententiis agatur uel si res eiusmodi exponitur, ut alium aliam sententiam habere appareat, uel si is qui loquitur eam sententiam modo suam esse prædicat; 14 ex. ex. c. Aul. 441 *ut tu meam sententiam iam noscere possis.* Vt hæc uis magis conspicua fiat, *quidem* additur *mea quidem sententia*, quinquies. Sæpius eodem sensu adhibetur *meo quidem animo*, undecies. *meo animo*, *quidem* omisso, quater; aliis quoque uerbis interiectis hæc significatio augetur ut Ep. 279 *nisi quid tua Secus sententiast*, As. 261 *certum herclest nostram consequi sententiam* (9 ex.), sed Mn. 1151

[1]) Cf. LEONEM l. l. p. 427.

Quoniam hæc euenere , frater, nostra | ex sententia, ubi hiatus euitandi causa CAMERARIVS *nobis ex s.* coniecit, et Mrc. 370 *Poste hac nocte non quieui satis me⟨a⟩ ex sententia* uis pronominis perparua est, et hæc exempla iis similia sunt, ubi pron. omissum est, ut Mrc. 94 *Omnis ut uolui uendidi ex sententia,* Cp. 347 *neque qui magis sit seruos ex sententia,* ubi nobis quidem pron. requiri uidetur. Item interdum subst. ipsum antecedens ui caret Mn. 273, Tc. 964, An. 393, et subsequens Ht. 683 *Istuc tibi ex sententia tua obtigisse lætor.* Interdum pron. admodum ui priuatum hoc subst. antecedit uerbo quoque interiecto. Vt hoc cum iis, quas iam adumbraui normas, consocietur, primum animaduertendum est uerba præpositione sola inserta quam minime disiungi et eam persæpe inter attributum et subst. poni. Porro natura huius uocis ut ceterarum, quas attuli, fit, ut pron. semper aliquid ponderis habeat, quia id significat quod aliquis sua pro parte sentit et uult. Ex eo factum est, ut et apud hanc uocem et apud ceteras allatas proprium locum ante subst. pron. habere uideretur, quem retinebat, etsi uis immutabatur. Ratio, qua hæc explicatio nititur: pron. etsi ui caret, locum, qui alias eius proprius est, apud uoces quasdam retinere, etiam magis de uocibus *patris filii* etc. ualet, de quibus infra agam.

Officii uocem cum, quid ex quo expectari possit, significet, pron. apud se habere, consentaneum est; cum autem pron. plerumque perparuam habeat uim, sæpius summittitur ut As. 173 *Quid me accusas, si facio officium meum?* 19 ex., quorum Ep. 337 chiasmo non pleno uis aucta est. Vno loco Cp. 297 uerbo *hic* inserto pron. sequens disiungitur in fine uersus positum *fecit officium hic suom.* Ps. 376 sq., ubi leno dicit *Hoc officium meumst,* postpositum ui effertur, nisi ad prædicatum pertinet. In 16 ex. subst. ipsum antecedit interdum ui elatum; ex. c. As. 380 *Quin tu⟨om⟩ officium facis ergo ac fugis?* uis ironica pronomini inest. Correctio certa est, quod huic uoci attributum comici semper addunt. Rarius a substantiuo disiunctum antecedit (9 ex.): uis contraria B. 760 *Vos uostrum curate officium, ego efficiam meum,* item Tc. 711 et Pn. 427, nisi h. l. pron. ad prædicatum pertinet, St. 42, An. 168. Vis autem peculiaris non est Ph. 724 *Non satis est tuom te officium fecisse, id si non fama adprobet.* Ps. 1104 *Nilist autem suom qui officium facere inmemor est nisist admonitus,* R. 921, 922 inter se simillima sunt; omnia in metris lyricis extant, sententia eadem est. Pronomine magis elato eius ipsius hominis officium esse magis ostenditur, sed uis non ita magna est nisi R. 922, ubi non decere dicitur seruum ad officium, quod suum sit, ab alio excitari.

Ad postremum *meriti* uocem ablatiuo casu dictam commemorare uolo, quæ quoniam per se satis intellegitur, sæpius pronomine caret; *merito* 34 ex., *immerito* 7 ex. Sed non raro pron. additur, quamquam inter hæc et ea exempla uix aliquid interesse uidetur; quod cum ui careat, subsequi solet. 8 ex. As. 492 *nemo etiam me accusauit Merito meo; immerito meo* 3 ex. — As. 138 *meritoque id faciam tuo* et Ph. 1033 *merito* ut ui maiore efferatur, a pronomine sequente disiunctum anteponitur. Pron. antecedit Ph. 1030 sq. *Habet hæc ei quod, dum uiuat, usque ad aurem obganniat # At meo merito credo.* Aliquem obiurgare rectum esse non solet, quæ

significatio uerbo uulgari obganniendi inest; sibi autem cur id faciat iustam causam esse dicere uult uxor irata. Genitiuus additur *merito huius* Ep. 722 et *eius merito* Pn. 882.

Sed ne plura præripiam, antequam ad rem ipsam aggrediar, hic finis faciendus est. Ex iis quæ allata sunt exemplis apparere uidetur pron. poss. subst. ipsum antecedens necessarium esse solere et ui efferri posse et uerbis interiectis maius habere pondus; sequens autem, nisi chiasmo ui effertur, ui carere solere. Iam autem has normas, quamquam in re uniuersa ueræ sunt, multis locis ad collocationem explicandam non sufficere uidimus et mox has quæstiones multo magis implicatas esse inueniemus.

Pronomen possessiuum a substantiuo disiunctum antecedit.

Vna cum notione possessiua pronomini possessiuo personalis quoque notio inest, quæ sæpe ui præcipua effertur, præsertim si pronomini pronomen alterius personæ contrarium opponitur (ex. u. infra p. 17 sq.). Interdum autem

1. Notio possessiua præualet,

quod nos adiectiuo «egen» addito significare possumus; in latina lingua hæc uis datiuo pronominis personalis cum possessiuo coniuncto augeri potest; 14 ex. As. 825 *Cum suo sibi gnato unam ad amicam de die Potare.* Præterea uerbum aliud quoque intercedit Cp. 899 *At ego tuom tibi aduenisse filium respondeo*, et particula *pte* addita uis quam maxime intenditur Mg. 605 *Tuopte tibi consilio occludunt linguam.* Mo. 204 Bentleyvs sic suppleuit *Solam ille me soli sibi suo* ⟨*sumptu*⟩ *liberauit*, ubi *sibi* sui iuris est cum adiectiuo *soli* coniunctum, quare ordo alius est. Ex hoc et aliis exemplis ut Crc. 178 *Sibi sua habeant regna reges, sibi diuitias diuites*, cf. St. 133, quomodo hoc ortum sit, intellegitur. Tribus locis pron. datiuo addito sequitur Am. 269 *hunc telo suo sibi, malitia, a foribus pellere.* As. 72, Pn. 487, quod in hac coniunctione uerborum uis, quæ notioni possessiuæ additur, ipsis uerbis grauiter notatur et *sibi* uoce intendi potest.

Eadem uis particula *pte* addita augetur; 8 ex. Cp. 371 *tuopte ingenio.* postponitur Tn. 666 *Scio te sponte non tuapte errasse,* cui loco magna uis inest, confer quæ de *suo sibi* postposito dixi. — *Met* Pn. 446 *Ne meamet culpa meo amori obiexim moram.*

Deinde uis possessiua discernendi causa insignis fit pronomine *quisque* addito; 9 ex. Ep. 214 *occurrebant suis quæque* | *amatoribus*; sed Ep. 212 *Filios suos quisque uisunt*, ubi quasi appositio esse uidetur *suos quisque.*

Eandem uim pron. poss. habet, si *ipse* subiectum enuntiati est Am. 252 *Ipsusque Amphitruo regem Pterelam sua obtruncauit manu* hiatu legitimo, Cp. 560, Mrc. 89.

Porro in multis aliis exemplis hæc uis inest, quamquam uerbo addito non significatur ut Am. 535 *ego mea occidi manu*, 764, Cp. 142 *Tum denique homines nostra intelligimus bona* (vårt eget bästa), 959 (cf. 296). Mg. 294 aliaque, quæ magis dubia sunt.

In quibusdam sententiis, ubi aliquid indigne uel mire accidisse dicitur et causa, cur indignum uel mirum sit, pronomine possessiuo exprimitur, ea causa est ut pron. ui efferatur; quod nos item adiectiuo «egen» (proprius) significamus. As. 875 *Is etiam corruptus porro suom corrumpit filium*, Aul. 465, B. 1206, Cp. 552, 853, Ep. 430, 481, Mn. 902, Mg. 158, Mo. 1150, Pn. 251, 296, 965, 1234 *etiam me meæ latrant canes?* Ps. 743, R. 712, Tn. 154, 675 mss *Si istuc, ut conare, facis indicium, tuom incendes genus*, coniectura NIETZSCHII in editionem Ritschelianam recepta, *incendio incendes, tuom* deletur, quod parum cautum est, cum sermoni comico optime conueniat neque unde inlatum sit appareat. Quamobrem coniectura BERGKII præferenda, *igni tuom*, qua *tuom*, ut debet, conseruatur neque sententiæ minus satisfit. Tc. 925 — An. 880, Ht. 220 *Perii, is mi, ubi adbibit plus paulo, sua quæ narrat facinŏra*, ubi adulescens, cui pater indulgere non uult, eum tamen ipsum adulescentem haud aliter fecisse indignatur. 839 sq. senex iniquum esse putat generum sine suo labore a se ipso parta accipere, u. 840 sq. *inueniundus est Aliquis, labore inuenta mea quoi dem bona*, Ph. 431. Cum his alia comparanda sunt, ubi pronomine possessiuo causa indicatur ut Am. 1004 *Meo me æquomst morigerum patri*, ubi Mercurius causam, cur Ioui morem gerat, eam esse dicit, quod sibi pater sit. B. 406 sq. *ad illam* (te duco) *quæ tuom Perdidit, pessum dedit tibi filium unice unicum* pron. ui effertur et *tibi* adicitur, ut pædagogus rationem u. 405 *Nunc experiar sitne aceto tibi cor acre in pectore* reddat et senem magis exacerbet. Crc. 637 sq. *Is prius quam moritur mihi dedit tamquam suo, Vt æquom fuerat, filio*, aliaque exempla; Cp. 49 (cf. u. sq.) Ep. 88, Mn. 383, 1063, Mg. 71, Pr. 265, Pn. 810, 965, Ps. 120, Tn. 81, 139, 451, Hc. 212 amor forte magis conspicuus, Ad. 333. Minus clara hæc uis est Cp. 666, Mo. 306, Ps. 1170, Tn. 687. — Nimirum etiam causa in notione personali posita esse potest; sic se habent Ps. 830, 976, R. 697; et ea iam in ex. allatis sæpe accedit.

2. Notio personalis præualet.

Cum utraque notio semper adsit, sæpe difficile discernitur, utra ui maiore efferatur, nec uerbum, quod nos hoc nomine addimus «egen», satis certum signum est, cum eo interdum, ubi notio personalis ui effertur, etiam utamur; optime apparet notio personalis, cum pron. poss. pronomini alterius personæ contrarium opponitur, siue uerbis expressis legitur, siue auditur.

Verbum peculiare, quo hæc notio indicatur, *quidem* est, 28 ex. As. 275 *mea quidem hercle opera*. Item particula *quoque*, quæ ad personam uel rem quandam significat nouam accedere. As. 567, R. 432, Ht. 898 *Sed ille tuom quoque Syrus eisdem mire finxit filium*.

Si duo pronomina possessiua inter se contraria extant et utrumque cum substantiuo coniunctum est, uerba aut per chiasmum aut per anaphoram[1]) ponere licet. As. 210 *meo de studio studia erant uostra omnia*, Am. 221, Cp. 740, Cas. 194, Mg. 883, Mo. 325, Pr. 212 *Tuo ex ingenio mores alienos probas*, Pn. 426, Ps. 154, Tn. 122, An. 628, Hc. 108. Quantus est chiasmi amor linguæ latinæ, etiam adhibetur, cum uis non ita magna sit; et pronomina poss. interdum per chiasmum ponuntur, ubi, quamquam inter se contraria et plus quam necessaria sunt, uis non tanta est, quanta in exemplis allatis; ex. c. Am. 221 sq. *Nos nostras more nostro et modo instruximus Legiones: item hostes legiones suas instruont.* Cas. 600 *Tuam arcessituram esse uxorem uxorem meam*, item 614, Mg. 506 sq., Pr. 842.

In his exemplis pron. et subst. utriusque coniunctionis attributiuæ eodem ordine sequuntur (anaphora) Aul. 425 sq. u. infra. Cp. 627 *me tuom esse seruom et te meum erum*, Cas. 113 sq. in quæstione et responso *Mea prædast illa — Ex sterculino effosse tua illæc præda sit?* Cst. 762, Ep. 625, Mg. 548, 1235, Mo. 50 *Meum bonum me, te tuom maneat malum*, 747–9, Pr. 812 sq., Pn. 540, 631 sq., St. 133, Tn. 434, 449 sq., An. 152 sq., Ht. 397, Hc. 239, Tn. 823 correctio incerta est.

Etiamsi in altero membro substantiuum omittitur, uis non minor est. Hunc Nægelsbach chiasmum non plenum appellat[2]), quamquam decerni non potest, num uerba per chiasmum poni debuerint, si substantiuum in altero quoque membro extaret. Cp. 447 *Et tua et tua huc ornatus reueniam ex sententia.* Ep. 587 *Tua istæc culpast non mea,* Mg. 738, Pr. 537, Pn. 427, Tn. 452, 467, Tc. 965, Ph. 275(?).

Vt sententiæ contrariæ causa uis addatur, altera coniunctione attributiua opus non est; etiam cum notio pronomini possessiuo contraria pronomini personali uel demonstratiuo inest, uis eadem est; As. 146 sq. *Nam isti quod suscenseam ipsi nil est — Tuo facit iussu*, 509, Aul. 426 cum anaphora coniungitur *si hoc caput sentit Pol ego haud scio quid post fuat: tuom nunc caput sentit*, 733 *istuc facinus quod tuom Sollicitat animum id ego feci*, uis substantiui parua est, *tuom animum* pæne *te* ualet (cf. infra p. 19), B. 97, Cp. 224, 261, 433, 687, Cas. 179 sq., Crc. 402, Mrc. 662, Mg. 79 sq., 479 *tuæ mihi turbæ non placent*, Mo. 1145, Pn. 521, Ps. 719, R. 1377, Tn. 122, 639 sq. — An. 964, Hc. 585, Ad. 874. Cf. Mn. 134.

In aliis exemplis, in quibus pron., quod notio alia contraria ei opponitur, ui effertur, ea notio uerbis propriis expressa non est, sed e sententia auditur aut pluribus uerbis inest, quorum nullum ἐκ παραλλήλου ut dicitur ad pron. positum est. Am. 1 *Vt uos in uostris uoltis mercimoniis*, quæ uerba talia excipere debebant: ita uos nobis in nostris rebus i. e. fabulam agentibus fauete, quod uariis sententiis interpositis paulo aliter uu. 15 sq. dicitur. Porro 235, 871, 1139, B. 355, 599, 1126, 1201, Cp. 853, Cas. 103, 819, Cst. 50, 521, 568, Ep. 279, Mn. 250, 658, Mg. 399, 1352, Mo. 793, Pr. 374, 843, Pn. 153, 354, Ps. 379, 558, 1248, R. 89, St. 416, 554, Tn. 302, 621, Tc. 167; Ht. 128, 552, Ph. 491, 1043, Ad. 68, 863.

---

[1]) De hoc nomine uide supra p. 13 a. 1.

[2]) Nægelsbach, Lat. Stil.[8] p. 638.

In multis aliis exemplis, quamquam nihil contrarii inest luculenter apparens uel contrarium deest, pron. tamen uim perspicuam habet et quasi cardo sententiæ est. Am. 570 ***Quid mali sum, ere, tua ex re promeritus,*** 609 ***iste qui sit Sosia, hoc dici uolo*** # ***Tuos est seruos,*** cf. Pn. 724, R. 99, 1052, 1054; omnibus locis de eo, agitur, cuius sit seruus. Cf. etiam hæc ex., ubi *ne* pronomini additur Crc. 357 ***Meosne amores?*** 616, Ep. 688, Pr. 358, Tc. 612, Ad. 400. Vis porro inest: Am. 932, 1082, B. 50, 1146, Cp. 185, Ep. 469, 584, 586, Mg. 351, 1029. Pr. 775, 842, Pn. 503, 631, 643, 1116, 1166, Ps. 830, 976, R. 697, Tn. 525, Tc. 125; Ht. 1016, Hc. 799, Ad. 902.

In exemplis adhuc allatis pron. semper ui præcipua præditum erat; in aliis autem, quæ iam afferam, pron. etiamsi non raro ui effertur, eo inprimis pondus habet. quod ad sententiam necessarium est et, quomodo res inter se conexæ sint, significat. Interdum pron. ita præualet, ut subst. parui momenti sit et, nisi elegantiam sermonis respicias, pron. personale satis fuerit. In similitudinem horum exemplorum iam nonnulla quæ attuli abierunt ut Mrc. 662, Pr. 842, Tc. 125. Cf. porro Mg. 316 ***non ego tuam empsim uitam uitiosa nuce,*** 955 ***nequis nostro hic auceps sermoni si⟨c⟩t,*** 1058, R. 625, An. 727 sq., Ht. 669, 814, Hc. 239.

In his exemplis quamquam subst. ad sententiam magni est momenti, pron. tamen maius pondus habet magisque necessarium est. Cum autem ***animi*** uox cum pron. possessiuo coniungitur, sæpe uis eius tam exigua est, ut nos sæpe pronomine personali solo utamur: Aul. 733 (p. 18), Cas. 179, Cst. 5, 222, Ep. 545, Mrc. 347, Pr. 177, An. 263 ***quæ meo quomque animo lubitomst facere,*** 377, Ht. 645; (in aliis exemplis ut Tn. 712, St. 1 sq. ***miseram fuisse — suo ex animo*** uim suam retinet hæc uox). Cf. porro hæc exempla: As. 16 sq. ***tuæ Superesse uitæ,*** Ep. 133 ***Quia meo neque carast cordi neque placet,*** 439, Mrc. 1010, Mg. 1051, Pn. 1087, Tn. 1000; Hc. 474.

Cum pron. poss. ad rerum conexum explicandum additur, sæpe a substantiuo disiungitur, ut magis animaduertatur conexusque qui sit una opera ui maiore significetur. Aul. 778 sq. ***hic mihist Megadorus auonculus, Meus fuit pater ⟨hinc⟩ Antimachus, ego uocor Lyconides.*** ***hinc*** inseruit Ritschl, Leo ***pater fuit*** transponit. As. 58 ***Sum uero et alter noster est Leonida,*** Mg. 792 sq. ***adsimuletque se Tuam esse uxorem.*** Vide porro B. 61, Cp. 101, 342, 881, 952, Cst. 133, 317, 749, 762, Crc. 550, Ep. 408, Mrc. 753, Mg. 441, 549, 796, 800, Mo. 977, Pn. 773, 838, 1156, 1160, 1256, Ps. 528, R. 1157, 1213, Tn. 444, 450, 1165, Tc. 771, 790; Ht. 772, Ph. 736, Hc. 743.

His exemplis ea consimilia sunt, in quibus, si quis subito intellegit ea quæ alius loquitur ad se pertinere, hoc ita dicit, ut pronomine possessiuo ui elato rem ita se habere significetur. Cui sæpe, ut uis maior fiat, primus locus datur (cf. prooem. p. 4). Cst. 576 ***Meum elocutust nomen: interii,*** 766 ***Nostram hæc rem fabulatur*** Mg. 166, Ps. 445, R. 568, 1293, 1297.

3. Pron. poss. significanter dicitur uel affectum animi exprimit.

Iamiam complura exempla attuli, in quibus pronomini uis peculiaris inerat, quæ significationi solitæ aliquid noui adderet, ea dico, in quibus pron. rationem quandam causalem indicat, præsertim si ei indignatio admixta est (supra p. 17). His ergo in exemplis pronomen pleniore significatione uel significanter dictum est. Quamquam inter exempla huiusmodi discrimen difficile statuitur, illo loco ea afferre conatus sum, in quibus ratio possessiua, e qua causalis pendet, maxime appareret et eam ob rem non tantum alienæ significationis adderetur, quantum uis notionis possessiuæ augeretur. Talibus exemplis in nostra lingua adiectiuum «egen» addi potest, si subiectum eiusdem personæ est. In iis autem quæ nunc afferam ex. ratio personalis magis præualet, quod exemplis forsitan melius quam uerbis explicetur. As. III, 1 lena filiæ repugnanti amorem exprobrat, ut antea fecit. As. 509 ***An decorumst aduorsari meis te præceptis?*** sc. quæ mater tua sum. Causa, cur indecorum sit, ea est, quod matri ipsi non obœdit, quod pronomini ***meis*** inest. Quid sit inter ***meis*** et ***te*** contrarii apparet; eam ob rem uis personalis pronominum contrariorum augetur (ex. etiam p. 18 allatum est). De Aul. 85 sq. et similibus u. p. 14, ubi significatio uilitatis clare apparet. B. 842 sq. ***Meamne hic Mnesilochus Nicobuli filius Per uim ut retineat mulierem!*** Cf. Ps. 344, R. 839, Cst. 610 ***conteris Tu tua me oratione, mulier, quisquis es.*** i. e. tua odiosa oratione. Mn. 742 ***monstra quod bibam Tuam qui possim perpeti petulantiam*** i. e. tantam, quanta tua est. Mrc. 377. — Ne puella forma eximia, quam Charinus matri dono se dare uelle dicit, recipiatur, senex hanc affert rationem: 395 ***quia non nostra formam habet dignam domo,*** sed multo opulentiore. 785 ***Nec pol ego patiar sic me nuptam tam male Measque in ædis sic scorta obductarier*** i. e. probas, nisi melius cum exemplis p. 17 allatis confertur. Verba uxoris dotatæ iratæ sunt, quæ uirum in ædes suas meretricem induxisse credit. 844 ***Ecquisnam deus est qui mea nunc lætus lætitia fuat!*** i. e. tanta quanta mea lætitia ne diis quidem est. Mg. 488 sqq. ***meamne hic in uia hospitam — Tractatam et ludificatam!*** 495, 504, 506 causa indignationis pronomine effertur; ratio autem possessiua minus apparet quam hæc: neque mecum neque cum meis tibi (Sceledro) ullum commercium est. Cf. R. 414 ***Quis est qui nostris tam proterue foribus facit iniuriam?*** et Tc. 281. Mg. 1235 (ne) ***eius elegantia meam extemplo speciem spernat*** i. e. quæ eo indigna est, quæ parua est. Ps. 944 ***Vt ego ob tuam, Simia, perfidiam te amo et metuo et magni facio,*** antea eam permagnam esse dictum est. Tn. 498 ***neque nos tuam neglegere gratiam,*** i. e. quamquam non multum ualet. 640 ***Nec tuis depellar dictis quin rumori seruiam,*** i. e. quamquam amicus es et mihi bene consulere uideris. Ph. 431 ***Egon tuam expetam Amicitiam?*** qui mihi tantum damni malique fecisti. Hc. 302 ***Tum uxori obnoxius sum: ita olim suo me ingenio pertulit,*** i. e. probo et placido ingenio ut in uu. sqq. exponit.

Alia exempla, in quibus hæc uis pronominis est, quamquam non tanta ui elata, sunt B. 810, Cp. 755, Ep. 511, Mn. 740 sq., R. 491, 515. In plerisque exemplis allatis is qui loquitur ira inflammatus hanc uim pronomini attribuit, ut pron. ad iram notandam ualeat. Quodsi pronomine elato affectus orationis augeri potest, non solum in uerbis irati id ita esse par est, sed etiam, ubi dolor exprobratio iactantia amor insunt, inueniri consentaneum est. Similiter KÆMPF l. l. p. 7 sqq. poëtas scænicos romanos. si in oratione affectus quidam uel motus animi est, pron. personale subiecti uice fungens addere solere contendit. Verisimile est rem se ita habere præsertim usu possessiuorum collato; hoc autem KÆMPF non demonstrauit, qui huius generis sententias cum aliis comparare neglexit, qua ratione sola res effici potest, et his alienas admiscuit. Quare hanc partem commentationis recte impugnat ABRAHAM in censura Berl. Phil. W. 1886 col. 265 sqq.; iudicio autem eius «Einzig und allein der Gegensatz, auch der leiseste, ist es der im Lateinischen noch die besondere Angabe der Person durch *ego* u. s. w. hervorrufen kann» assentiri non possum. Vtut de pronominibus personalibus iudicatur, pron. possessiua affectus causa ui efferri posse iam ex exemplis allatis apparet; in aliis hæc uis cum solita ui tam arte coniuncta est, ut seiungi non possint, ut in iis, ubi indignatio uel admiratio conspicua est (p. 17). Multis locis nisi hæc nulla causa, cur pron. a substantiuo disiungatur, inuenitur. Pronomine insigni facto notio personalis magis animaduertitur, ut tota sententia magis quasi ad hominem certum referri uideatur, qua re affectus uehementius exprimitur. Hanc uim pron. possessiui propriam esse ex eo ex. c. apparet, quod cum uocatiuo coniungi solet, cum is qui loquitur cum altero propinquitate uel amicitia coniunctus est uel alia de causa gratiam et amorem erga eum habet (cf. infra), quamquam coniunctio attributiua uocatiui casus, quæ se ipsa conclusa est, disiungi non potest, nisi *que* inserto, quod fit uno loco Cas. 229 *Vxor mea meaque amœnitas*, et *tu* Cas. 646 *mea tu ancilla* et R. 463 *mea tu belliata* (sed de hoc cf. KÆMPF l. l. p. 19)[1]. Pron. possessiuo indignationem significari iam dixi; huic finitimæ sunt minæ exprobratio ægritudo animi contemptus.

Pronomina possessiua (*meus* et *uoster* ut excludantur, re ipsa fit) significanter dici, ut contemptum significent, KVÍCALA[2]) probauit; sed huiusmodi perpauca exempla apud comicos inueniuntur. Satis certa hæc tria sola uidentur Cas. 114 u. p. 18, cf. 328 *Verum edepol tua mihi odiosast amatio*, 727 *fy, fy foetet tuos mihi sermo*. Cf. etiam nonnulla exempla, ubi uox *causæ* extat (p. 14).

Exprobratio pluribus locis inuenitur. Aul. 736 u. p. 23, B. 413 *propter te tuamque prauos factus est fiduciam*, 567, Cas. 978, Mrc. 421, Ps. 219 *Num quoi-*

---

[1]) Ab re non est h. l. nostram linguam adhibere, in qua pronomina possessiua hac uice sæpe funguntur. Ita in sententiis irati, exprobrantis, minantis «din slyngel, din tok etc.», ad amorem significandum adiectiuo possessiuo «egen» utimur, cui in latina lingua, ut sæpius dixi, pron. poss. solum ui elatum respondet, «din egen bror» etc.

[2]) Act. acad. Vindobon. 1870, p. 135.

piamst hodie tua tuorum opera conseruorum Nitidiusculum caput? sed hæc collocatio artificiosa, quæ in cantico inuenitur, eam quoque ob rem adhibetur, ut pronomina continuentur (cf. prooem. p. 7, Leo l. l. p. 432), Ps. 631, Tn. 117; Ad. 621.

Ægritudo animi his locis deprendi uidetur. As. 515 ***Verum ego meas queror fortunas, quom illo quem amo prohibeor***, Cp. 652, 911, Cas. 938, (forte Cst. 699), Ep. 531, Mrc. 8, Pr. 643, R. 545, 905, 1226, St. 2 (ubi etiam uis contraria), Tc. 795, Ht. 463 sq.

In minis cum pronomine *iste* quoque coniunctum (cf. infra) usurpatur. Am. 285 ***Ego pol te istis tuis pro dictis et malefactis, furcifer, Accipiam***, As. 131, B. 779, Cp. 796, Mg. 157, Pn. 494, cf. Pr. 28.

Iam exempla attuli, in quibus causa admirationis pronomine possessiuo exprimitur præsertim cum indignatione commixta (p. 17); iis hæc exempla finitima sunt. Cp. 541 ***Quid istuc est, quod meos te dicam fugitare oculos?*** Cas. 620 ***Quid illuc clamoris, opsecro, in nostrast domo?*** 631, Mo. 376, Ps. 1203; Tn. 512 fortasse indignatio maior est. Cf. Ps. 445 et Tn.1055 (p.19).

In precibus uerba sæpe artificiose collocantur ex. c. An. 289 ***Quod per ego te hanc ⟨nunc⟩ dextram oro et genium tuom***, suppl. Dziatzko ex Eugraphio, 834 ***Per ego te deos oro***, Cp. 245 ***per mei te erga bonitatem patris;*** chiasmi et anaphoræ in talibus sententiis haud raro inueniuntur. Ad uim augendam etiam pron. poss. adhibetur, quod si a substantiuo separatum præmittitur, obtestatio etiam uehementior fit quasi «argumento ad hominem» prolato. Ex. luculentissimum est Aul. 586 ***Ibo ad te fretus tua, Fides, fiducia***, uerba senis, qui Fidem deam, ut aurum sibi seruet, precatur. E quibus uerbis Fidei eo ipso, quod fides est, id quod rogatur faciendum esse apparet. Sic sæpius uox *fidei* ponitur, quæ subst. antecedere solet (subst. ipsum u. p. 29) non solum in precibus R. 615 ***Pro Cyrenenses populares, uostram ego imploro fidem***, 622. An. 296, Eu. 886[1]), sed etiam, quando quis se aliquid facturum esse pollicetur, quasi si dicat «specta me, ego faciam»; Mn. 894 ***Mea ego id promitto fide***. Eu. 102 ***hac lege tibi meam adstringo fidem***. Alia exempla orationis precantis hæc sunt: Cp. 434 ***Ne tu me ignores, quom extemplo meo e conspectu abscesseris***, 245, 878, 977, Cas. 371, Crc. 91, 307, 426, Mn. 697, 1066, Mrc. 149 (aliter Cp. 838, quia subst. ui effertur), Mg. 691, Mo. 78, Pn. 952, ubi etiam contrarii quiddam est inter ***mei*** et ***mei fratris***, 1390, R. 276, 642, St. 20, 505, Tc. 826, cf. etiam Ps. 11.

Ab iis exemplis, ubi, si quis quid promittit, pron. ui effertur, haud aliena ea sunt, quibus iactantia inest. Pron. significanter dicitur, ut fere in sententiam uocis *talis* uel *tanti* abeat. Mg. 32 ***Ne hercle operæ pretium quidemst Mihi te narrare, tuas qui uirtutes sciam***, Ps. 109, 578, St. 298, Tn. 141. Mg. 959 pron.

---

[1]) In his exemplis uis pronominis uoci *fidei* præualet ut in ex. p. 19 allatis; item in his, quorum pleraque iam allata sunt Cas. 1007 *Tuen fidei credo?* ⋕ *Meæ*, Mrc. 421, Tn. 117, He. 109 (chiasmus), Ad. 621. Cetera, ubi pron. disiungitur, sunt Ps. 631 et He. 750 ***qui firmare meam apud uos possem fidem***, ubi contrarii quiddam adest.

certa correctura restituitur *Quæ te amat tu⟨a⟩mque expetessit pulcram pulcritudinem*. quibus exemplis collatis non dubito, quin eadem uis insit Mg. 1 *Curate ut splendor meo sit clipeo clarior, Quam solis radii —*. Si uis in contrariam partem abit, ironica fit ut Mg. 373 *Ibi* (in cruce) *mei sunt maiores siti, pater, auos, proauos, abauos;* cf. etiam B. 50, Pn. 642 sq., As. 380.

Supra p. 21 pronomine possessiuo uocatiui casus amorem et gratiam significari dixi, quæ uis in aliis quoque casibus quamquam rarius inest. Tc. 355 *Quid tam inficetu's, Lemno adueniens qui tuæ Non des amicæ, Diniarche, sauium?* St. 709 *Bene uos, bene nos, bene te, bene me, bene nostram etiam Stephanium*, Mo. 167 p. 30. Rei natura fert, ut hæc amoris significatio, præsertim si liberi parentes aut parentes liberos alloquuntur, insignis sit; item si alteri de alteris loquuntur. Etiam exempla, ubi apud has uoces pron. uocatiuo casu extat, frequentia sunt. Pron. in hoc casu sæpius antecedere p. 21 dixi et explanaui amore significando. Illud eo quoque comprobatur, quod pron. has uoces, quamquam salua sententia deesse potest, antecedere solet (u. infra). Cum pron. ante has uoces sæpe poneretur, eo factum est, ut non solum cum amor sententiæ inesset, sed etiam usque quaque cum hæ uoces usurparentur, hæc collocatio his uocibus propria fieret. Sic res se habet, cum pron. subst. ipsum antecedit; quamobrem cum hæc collocatio uerbis intercedentibus illi ui, non genere dissimilis sit, eiusmodi quoque exempla, ubi pron. ui caret, inueniri posse uerisimile est. Amor conspicuus est B. 237 sq., Cp. 366 *Meum ut illic redimat filium* (uerba Hegionis), 881, Cst. 317; *filia* Aul. 613, Ep. 405, St. 505, cf. Pn. 952; *liberi* Aul. 736 *Quam ob rem ita faceres meque meosque perditum ires liberos?* cf. p. 25, Mo. 233 *Vtinam meus nunc mortuos pater ad me nuntietur*, ut res immanis pronomine elato grauius perstringatur. Vis abesse uidetur Cp. 348 *Neque adeo quoi tuom concredat filium hodie audacius*, 367, Mo. 670; *filia* Ep. 588; *pater* Am. 126, 249, 506, B. 392, 664, Mo. 1123, Tc. 648, 656, *mater* Ep. 569, *parentes* Cst. 714 *qui suos Selenium parentes Facilius posset noscere.*

In exemplis quæ adhuc attuli pron. poss. antecedens a substantiuo disiunctum aut ui effertur, aut ad sententiam intellegendam necessarium est, aut aliquid plenioris significationis recipit. Significationem ergo pleniorem ad hanc collocationem pertinere apparet. In quibusdam autem ea significatio, ut res fert, minor est quam in aliis; de quibusdam quoque dubitare forsitan possis, quamquam ea pauciora sunt, quam ut normam infringant. Quoniam igitur certos terminos statuere perdifficile est, præsertim cum interdum alia collocatio non minus apta quam alia esse possit, non mirandum est, si poëta interdum discrimine neglecto hunc quoque terminum incertum transiit, et de metricis uel aliis causis, quæ sæpe nos effugiunt, alia collocatione usus est atque ea, quam lex, si stricta esset, flagitauisset. Priusquam autem hæc exempla protulero, de genere quodam dicam, quod normæ repugnare tantum uidetur. Hæc est coniunctio frequens *Tua Bromia ancilla* Am. 1077, cf. B. 346, 830, Cp. 875, Cst. 544. *Tuos Collabiscus nunc in urbest uilicus* Pn. 170, *ut uideas semul Tuam Alcumenam pælicem, Iuno mea* Mrc. 690, quæ etiam

apud posteriores inuenitur. Facere non possum, quin pron. re uera ad nomen proprium pertinere putem, cui *seruos* etc. apponitur. Nam qua est simplicitate sermo quotidianus, a quo nimirum hanc uerborum coniunctionem iam confectam Plautus sumpsit, mihi persuadere non possum tam spinosa explicatione opus esse, ut pron., quod ad uerbum, iuxta quod positum est, quin pertineat nihil prohibet, ad uerbum hoc sequens potius referatur. Non raro nomina propria cum possessiuo coniunguntur, ut eadem ratio exprimatur ex. c. Ps. 1287 *Pseudolum tuom*, Pn. 757 *Adelphasium tuam* (lenoni hoc dicitur). Rem ita se habere hæc quoque exempla confirmant. Etsi Pn. 170, ubi inter *Tuos Collabiscus* et *uilicus* uerba plura inserta sunt, tanti momenti non est, pluris tamen sunt Mrc. 670 *Sed anum non uideo consequi nostram Syram*, cf. Aul. 804 *seruom — meum Strobilum*, ubi ordine inuerso pron. iuxta nomen positum est, et præter cetera Mrc. 690. H. l. e uerbis inter se contrariis plane apparet *Tuam* ad *Alcumenam* pertinere et *pælicem* appositionem quæ uocatur esse, qua, si quis forte fabulam ignorabat, nomen proprium quid sibi uellet, explicabatur. In aliis exemplis collocatione alia pron. ad nomen appellatiuum pertinet *seruom meum Strobilum* Aul. 696 sq., cf. Cp. 880 sq., uerbis interiectis *seruos meus — Chrysalus* B. 391, *Lusco liberto tuo* Crc. 543, cf. Ps. 898, R. 897, *conseruo Sagarino meo* St. 680.

Exempla, in quibus uis pronominis parua uel nulla esse uidetur, hæc sunt: As. 284 sq. *Adeo ut ætatem ambo ambobus nobis sint obnoxii Nostro deuincti beneficio.* Hic tamen figura orationis, quæ rem magis effert, facile agnoscitur. Aul. 107 u. p. 8 ann. Cp. 510 *Eo protinus ad fratrem inde abii mei ubi sunt alii captiui;* in uersu neglegentia librarii corrupto et metro incerto alii alia conati sunt, inter quos Spengel *captiui mei*. Mrc. 340 *Bonum quæ meum comprimit consilium*, ubi pron. inter attributum et subst. suspensum hæret. Mg. 563 sq. *nam hominem seruom suos Domitos habere oportet oculos et manus*. Mo. 306 *gaudeant perpetuo suo semper bono* pron. aliud attributum excipit. Mo. 1078 *Nostrum ego hu⟨n⟩c uicinum opinor esse hominem audacem et malum*, de noua re loqui incipit. Pn. 1070 *Et is me heredem fecit, quom suom obiit diem*, cf. 77 *Eumque heredem fecit, quom ipse obiit diem*, h. l. pron. *ipse* additur, ut contrarium efferatur, illo pron. poss.; Cst. 175, ubi tale contrarium non inest *Ea diem suom obiit, facta morigerast uiro*. Pn. 904 *Is in diuitias homo adoptauit hunc, quom diem obiit suom* chiasmus quidam est et in fine uersus pron. extat. Ps. 469 sq. *Fac sis uociuas, Pseudole, ædis aurium, Mea ut migrare dicta possint quo uolo*, figura orationis. St. 454 sq. *tam confido quam potis Me meum optenturum regem ridiculis logis*, 679 *Inter illud tamen negotium meis curaui amicis*, contrarii aliquid; non solum domini, sed etiam meis rebus operam dedi. 711 *Modo nostra huc amica accedat*, cf. Crc. 91 p. 25, Tc. 239 *Nam ecastor numquam satis dedit suæ quisquam amicæ amator*, collocatio uerborum artificiosa cf. p. 8. Tria exempla, ubi uox *officii* extat, p. 15 attuli. Ph. 422 *Tuos est damnatus gnatus non tu, gnatus*, ui contraria effertur. Hc. 42 *Ego interea meum non potui tutari locum*, locum eum, quem meum esse oportebat.

Pronomina inter se quam proxima collocari Rein et Kæmpf ostenderunt (cf. prooem.), quam rem ad eam de qua dicimus collocationem mutandam ualuisse uerisimile uideri potest, præsertim si regula adhibetur, quam Kæmpf l. l. p. 20 constituit: «casus obliqui pronominum personalium, si cum possessiuis artius coniuncta sunt, postponi»; dicat enim aliquis sic fieri posse, ut pron. pers. inter poss. ui carens et subst. inseratur. Sed dicit idem l. l. collocationem solitam, i. e. grammaticam, mutari posse, si alteri pronomini uis sententia elata accedat, quod cum mea ratione consentit et exemplis inspectis recte se habere apparet. Nam de omnibus exemplis, ubi pron. pers. solum poss. a substantiuo disiungit, uno loco poss. ui carere uidetur Ph. 724 ***tuom te officium fecisse.*** Præterea Cic. 91 ***Exsuscitate uostram huc custodem mihi*** et St. 711 inter pron. ***noster*** uel ***uoster*** , quæ grauiorem habent accentum, et subst. ***huc*** insertum inuenitur, quamquam poss. paruam uim habet. Si plura uerba intercedunt, ea poss. et subst. disiungunt, quo facto uis augetur.

Ex re eadem collocatio multo rarior pendet, cum pron. poss., quod ad subst. sequens pertinet, coniunctione copulatiua, inprimis ***que***, cum pron. personali coniungitur, Aul. 736, B. 413, Cp. 652, 768 ***Iuppiter supreme, seruas me measque auges opes***, Mg. 959, Pn. 912 ***Pol istuc tibi et tuost ero in manu***, St. 505, sed in his quoque figura orationis, qua uis sententiæ augetur, facile agnoscitur: etiam pleraque, ut quæ uim habeant, iam attuli.

Pron. poss. a substantiuo non temere disiungi, sed certas causas subesse, a quibus proficiscens mos uerba disiungendi frequentior factus est, oratione numero conclusa, cui sermo elegantior conuenit, fauente; easque causas in pæne omnibus exemplis etiam agnosci posse et uerba disiunxisse ex disputatione mea apparere spero; quare hac collocatione tractata, ad eam, quæ huic proxima est, transeo.

Pronomen possessiuum substantiuum ipsum antecedit.

Hoc loco positum pron. poss. ui efferri Rohdivm et Albrechtvm statuere dixi (p. 13); cum autem apud comicos disiungendo uis augeatur, uim pronominis iuxta subst. positi minorem quam separati esse par est, quod uerumne sit, nunc uideamus. Copiam exemplorum maximam eodem modo atque in capite priore digero; de singulis disputare perlongum neque operæ pretium est.

1. Notio possessiua præualet.

Am. 773 ***An etiam credis id, quæ in hac cistellula Tuo signo obsignata fertur?*** 849 ***Quid si adduco tuom cognatum***, Amphitruo id prædicat Alcmenæ cognatum se adducere uelle, qui sibi non faueat. As. 878, Ep. 367, Mn. 133, Mrc. 454, Mg. 1117, Mo 1051, Pn. 659, 675, Ps. 496, 1189, R. 974, 1038; An. 658, Eu. 1024, Ph. 785, Hc. 89 sq.

Aliquid indigne uel mire accidisse dicitur, et pron., quod causam, cur indignum uel mirum sit, significat, ui peculiari effertur Am. 297 sq. *nunc propterea quod me meus erus Fecit ut uigilarem, hic pugnis faciet hodie ut dormiam*, apud *eri* uocem pron. sæpe deest; hic autem illa sententia facile agnoscitur. Aul. 301, 432, B. 508, Cas. 89, 203. Cst. 227, Crc. 192 (ira conspicua), Ep. 489, Mn. 505 (uis permagna), 740, 804, Mrc. 80, Mo. 191, 979, Pn 1323, Ps. 1321, R. 723, Tn. 601, 1140, Tc. 256, 261; Ht. 216, 401, 1050, Ph. 232, 874. Pron. *ipse* subiectum enuntiati est Mn. 643 *Neque uis tua uoluntate ipse profiteri* Tn. 262; An. 95.

2. Notio personalis præualet.

Chiasmus. A) Ratio contraria attributis inest, quare ui efferuntur. 27 ex.; ex. c. Cp. 320 *Ne tuom animum auariorem faxint diuitiæ meæ*. Ad. 170 *Caue nunciam oculos a meis oculis quoquam demoueas tuos*, collocationis artificiosæ rarum exemplum; cf. Am. 221 sq. B) Ex his exemplis etiam magis quam ex iis, ubi pron. disiunctum anteponitur, apparet, quanto fuerit chiasmi amore lingua latina. Nam sæpe pronomina, quæ per chiasmum ponuntur, non modo non contraria sunt, sed eiusdem quoque personæ; ex qua re, ut sermo elegantior fieret, chiasmum adhibitum esse apparet. Cf. p. 8. In his exemplis ambo pronomina alii notioni opposita eadem ui efferuntur. Am. 826 sq. *Amphitruo alius, qui — Tuam rem curet teque absente hic munus fungatur tuom*, Cp. 71: sq., R. 1355, Tn. 295, Ht. 25, Hc. 242. (R. 1038 *Ad meum erum arbitrum uocat me hic intra præsepis meas* uis possessiua chiasmo augetur.) C) In multis exemplis alterum pron. solum necessarium est, alterum, ut chiasmus efficeretur, additum esse uidetur, et substantiua ui præualent. Chiasmi causa alterum antecedere necesse est; non sine causa autem est, quod huiusmodi exempla, ubi etiam a substantiuo disiunctum antecedit, fere non inueniuntur. Pron. eadem sunt in 26 exemplis ex. c. As. 112 sq. *tu mihi tua Oratione omnem animum ostendisti tuom*; cf. Ht. 1025 *dictus filius tuos uostra uoluntate*. Inter pron., quæ eiusdem personæ non sunt, rarissime ratio contraria non intercedit ut in his duobus exemplis Mo. 310 *Sed estne hic meus sodalis, qui huc incedit cum amica sua?* An. 969 *Glycerium mea suos parentis repperit.*

Eodem modo in anaphora, quæ dicitur (u. p. 13 a. 1), res se habet; hic tamen numerus eorum exemplorum, in quibus pron. eiusdem personæ sunt neque ambo ui præcipua efferuntur, paruus est; eam ob rem, credo, quod anaphora, quæ collocationem solitam repetitam præbet, non tam apta quam chiasmus erat, qua sermo elegantior fieret. A) Ratio contraria in 45 exemplis inuenitur ex. c. Aul. 121 *Meai fidei tuaique rei;* Pn. 418 sqq. anaphora cum chiasmo coniungitur. B) Ambo pron. alii notioni contraria opponuntur. Cas. 821 *Tua uox superet tuomque imperium* (nec uiri), Pr. 586 (nisi melius ad prædicatum pron. referuntur), Tn. 703; repetitione uis augetur Mn. 740, Pn. 446, 631 sq., Tn. 185. C) Vis præcipua non est in his exemplis: pron. eadem sunt Cp. 413, Cas. 655, Mrc. 180 sq. *tuos pater*

Quid meus pater? # *Tuam amicam* # *Quid eam?* # *Vidit*, 478 sq., Mg. 707, Ps. 583, Tn. 882, Tc. 789 sq. Pron. quamquam non eiusdem personæ sunt, ui contraria non efferuntur Cas. 230 *Heia, mea Iuno, non decet esse te tam tristem tuo Ioui*, Ep. 360, Mn. 738 sq. (in quæstione repetitur), Tn 602 sq., Tc. 215.

Chiasmus non plenus qui uocatur (cf. p. 18) uicies bis extat ex. c. As. 517 *Et meam partem loquendi et tuam trado tibi*. Notio pronomini contraria uni uerbo inest tricies septies ex. c. Am. 894 *illi dudum meus amor negotium — exhibuit*, St. 719 *uel seruato meum modum uel tu dabo* mss., Ritschl recte *ego dabo;* nam de eo agitur, ut alter tantum quantum alter bibat. In aliis exemplis uis parua est, quamquam de duobus agitur personis. Quantus autem est linguæ latinæ amor notiones quodammodo contrarias efferendi, qui iam in chiasmis et anaphoris apparet, etiam in his hæc ratio significatur, ex. c. Cst. 719 *ego tibi meas res mando;* huiusmodi ex. sunt 24.

Vi pron. effertur, quod notioni, quæ auditur uel ex sententia colligitur, necessarium opponitur, 48 ex. Ex. c. Am. 1143 *Mea ui subactast facere* (sc. non sua sponte fecit), 1002 *sufferet suos seruos pœnas Sosia* i. e. non ego falsus Sosia. In aliis sententiis pron. maiore quam solita ui præditum est. Hæc exempla nimirum inter se dissimilia sunt, ut in aliis pron. magna ui efferatur, in aliis uis non multo maior sit, quam si pron. necessarium tantum est, alia medium quendam locum teneant; quare inter hæc et ea quæ proxime afferenda sunt exempla certi termini difficile statuuntur. Ea, in quibus uis aucta esse uidetur, sunt fere 110, ex. c. Am. 198 *Si dixero mendacium, solens meo more fecero*, 215 *Properi⟨ter⟩ de suis finibus exercitus deducerent*.

De exemplis, in quibus substantiuo pron. præualet, supra p. 19 sq. dixi; cum iis hæc conferenda sunt, in quibus pron. subst. ipsum antecedit. Am. 131 *suo animo morem gerit*, uis tamen minor, cum etiam *suo* omisso *animo m. g.* dici possit, maior 910 *meo animo fuit ægrius*, porro 10 ex. *Neque meum pedem huc intuli* Am. 733, cf. p. 19, Ep. 439 et Mrc. 1010; *meum caput contemples* As. 539, cf. Cp. 229 sq., et 946; aliis locis ut Cp. 597 *caput* significationem propriam habet *Væ uostræ ætati* Pn. 783; in talibus autem uerborum coniunctionibus pron. postponi solet, u. infra p. 35. *mei honoris causa* Aul. 463, Crc. 549, Mg. 620, St. 338 [1]); *nostri honoris causa* Ph. 928. Metri gratia pron. postponi uidetur *Quia nós honoris túi causa ad te uenimus* Pn. 638; As. 191 *honoris gratia hoc fiet tui* subst. præmittitur, quippe cui magna uis ironica insit; *huc honoris uostri uenio gratia* Am. 867. Vide porro hæc exempla As. 785, Aul. 220, Cp. 79, (cf. Crc. 322), Cst. 33, Ep. 527 sq., Mn. 849, Mrc. 679 (cf. Mg. 172, 174, Ph. 370, 1049, Ad. 326, 918), Mg. 608, 921, 1013, 1408, Pr. 812, cf. Hc. 564), Pn. 547 (cf. Ps. 183, An. 738), St. 102, Tn. 278 (cf. Ht. 433, Hc. 788), Tn. 382, 635, 837; An. 31, Ht. 967, Eu. 200 sq., 854, Ph.

---

[1]) Hiatus legitimus est, Seyffert Berl. Phil. Wochenschrift 1890, p. 309; Goetz-Schoell male scandunt St. 338 *Própere a portu túi honōris causa* # *Écquid adportás boni? túi honoris caúsa* cum hiatu præferendum est.

739, Hc. 245, 526. Ad hoc genus pleraque exempla pertinent, in quibus uox *fidei* inest, præsertim cum apud uerba *credendi*, *committendi* extat Am. 391; *Tuæ fidei credo?* Aul. 615, Cst. 245, Eu. 898. Plenior uis uocis est Aul. 121, Cp. 351, 432, Ps. 316, Tn. 192, Ph. 469. In precibus u. infra p. 29.

Sæpe autem pron. subst. ipsum antecedens nec ui peculiari effertur nec præualet, sed ad sententiam tantum necessarium est. Sic in 170 fere exemplis; Am. 662 *Atque id se uolt experiri, suom abitum ut desiderem*, 918 *Quin huc adducis meum cognatum Naucratem?* Sæpe pron. ea de causa necessarium est, ut hominem certum uel rem certam ab aliis discernat. Ita se habet multis locis, ubi pron. uocibus, quæ necessitudinem aliquam significant, additum est. Hæc uerba sæpe sine pronomine usurpantur; quodsi is de quo agitur non est necessarius eius qui loquitur aut eius, qui subiectum enuntiati est, ad sententiam recte percipiendam pron. addi oportet, ut Ep. 349 *Quia ego tuom patrem faciam parenticidam*. Voces huiusmodi sunt *pater*, *mater*, *parentes*, *filius*, *-a*, *gnatus*, *-a*, *frater*, *soror*, *uir*, *uxor*, *erus*, *a*, *senex* aliaque; et ex., ubi pron. apud has necessarium est, sunt fere 110.

Si pron. demonstratiuum substantiuo præmittitur et, ut sententia magis perspicua fiat, subst. sequitur, ut quis sit designetur, pron. addere necesse est ut Ep. 486 sq. *qui illum sectari solet Meum gnatum*. Quodsi pron. hoc modo usurpatur, hoc genus a sequente, ubi pron. additur, ut sententia planior fiat, ægre discernitur. Perspicuitatis causa pron. additum esse inprimis apparet, cum nouæ personæ in scænam introeunt, et cum quis de noua aliqua re uerba facere incipit; tum enim res quam clarissime pronomine addito exponuntur. Ex. c. As. I, 1 senex et seruus de filio amante colloquuntur, u. 60 ad uxorem oratio transfertur his uerbis *Verum meam uxorem, Libane, scis qualis siet*, B. 1076, 1091, Cas. 145, 353, Cas. 719 de persona adueniente *Redit eccum tandem opsonatu meus adiutor*, similiter 797, Crc. 96, Mrc. 366, Tn. 442. Hoc studio perspicuitatis etiam effectum est, ut in prologo Amphitruonis præcipue pron. uoci *patris* præponatur septies, et 104 *páter meus* in exitu uersus ad similitudinem aliorum recte traiecit Bothe. Alia exempla in quibus hoc studium deprenditur, sunt fere 50; ex. c. As. 696 *Circumda torquem brachiis, meum collum circumplecte.*

3. Pron. poss. significanter dicitur uel affectum animi exprimit.

Pronomen significanter dicitur: Am. 820 *Istuc facinus — nostro generi non decet* i. e. tam bono, 1140 *Suis factis te immortali adficiet gloria* i. e. præclaris; de Hercule dicitur. Cf. porro As. 574, B. 898, Cp. 997, Crc. 291, ubi ira magis apparet, Ep. 452, Mn. 726. Mrc. 855. Mg. 619, 635, 754, 942, 968, 1060 (?), Pr. 411, Tc. 603, Eu. 1034, Ad. 742. — Contemptus inest As. 446 *iam hic me abegerit suo odio*, Cas. 142, R. 1024, Tc. 260. — Irati sunt plura ex.; 18, ex. c. As. 407 *Quid hoc sit negoti, neminem meum dictum magni facere?* — Minantis Cp. 810 *Ex ipsis dominis meis pugnis exculcabo furfures*, Crc. 567, Mn. 993, Ps. 145. — Ægritudo animi adest Cas. 161 *Nunc huc meas fortunas Eo questum ad uicinam*, Crc. 335,

Ep. 88, Mrc. 831, 893, Tn. 617, Ht. 137, Ph. 201. — Iactantis sunt Mg. 1087, *Ita me mea forma habet sollicitum*, 1212, Ps. 583, — B. 674, Cp. 413, Tc. 482. — Mirantis Am. 660 *Meus uir hicquidemst* dicit Alcmena uirum ex insperato redire mirans. Similiter Mo. 447 inprimis; Pr. 14, Pn. 1299, Tn. 876, quæ exempla iis similia sunt, ubi quis quem aduenientem uidet et quis sit perspicue prædicat, p. 28, sed maiorem uim habent; porro Tn. 868, 1099, Ht. 431. — Precantis sunt As. 683, *sis erum tuis factis sospitari*, Aul. 615, Crc. 630 *Per tua genua te obsecro*, item Mg. 542; Pn. 419, 420, R. 698 *tua pace*, An. 290. Inprimis ii loci commemorandi sunt, ubi, si quis alicuius auxilium implorat, uox *fidei* cum pronomine possessiuo coniuncta adhibetur. Sollennia illa uerba sunt *di uostram fidem*, quorum exempla Plautina KELLERHOFF affert [1]), omisit Cst. 259, Tn. 1070; Ter. An. 716, 744, Ht. 502, Eu. 418, 790, 924, 1049, Ph. 757, 808, Ad. 381. Ab his locis ceteri, ubi fides alicuius imploratur, segregandi non sunt. Poss. semper antecedit, et si maior uis precibus additur, a substantiuo disiungitur (u. supra p. 22); sed uerbis alienis dicitur Ad. 489 *Illæc fidem nunc uostram implorat*. Ex. sunt *di, obsecro uostram fidem* Am. 1130, Cst. 663. *Pro di immortales, obsecro uostram fidem* Mo. 77, 530, Pn. 967. *pro* omisso Am. 455 (Iuno Lucina) *tuam fidem* Aul. 692; (Venus) Crc. 196. Hominibus dicitur: *Ne dixeritis obsecro huic uostram fidem* Mg. 862, Mn. 999, *tuam fidem obsecro* Am. 373.

Amor in maxima copia exemplorum perspicuus est; huiusmodi enim longe pleraque sunt, ubi pron. poss. uocatiui casus extat. Rem ita se habere iam ex eo apparet, quod in plerisque aliquis aliquem alloquitur quem amat ut amator amicam, mater filium etc. In multis quoque exemplis blanda quædam appellatio inuenitur ut *mea uoluptas*, *meus oculus* aliæque, quarum magnam uarietatem Plautus inprimis præbet (lege ex. c. Pn. 365 sqq.); in multis aliis nomen proprium est Voci *uiri* quidem, ubicumque extat, ut significetur maritus, uocatiue dictæ pron. poss. semper additum esse SCHROEDER animaduertit et KOEHM exemplis confirmauit [2]), quod eo factum est, quod uoce *uiri* aliam quoque significationem habente pronomine addito, quid sibi *uir* uellet, elucebat. Omnia exempla enumerare operæ pretium non est; sed ut e comparatione res, quæ iam rei natura commendatur, etiam magis appareat, temere aliquot locos, ubi uocatiuus pronomine adiecto et non adiecto extat, affero Senes, qui Hc. II, 2 colloquuntur, dicunt tantum *Phidippe* u. 256, *Laches* u. 263 et fratres Ad. I, 2 *Micio* u. 92, 96, 133, *Demea* 100, 115 135; neque seruus, cum liberos alloquitur, pron. addit ex. c. Ph. 247 *O Phædria*, Hc. 339 *Heus Sostrata*, neque homines, qui deos precantur Hc. 338 *Quod te, Æsculapi, et te, Salus, ne quid sit huius oro* (sed *mea salus* hominibus dicitur Cas. 801, Pn. 366), neque erus, cum seruum alloquitur, nisi aliqua de causa se e benignum et amicum esse ostendere uult, ut adulescens Hc. u. 841 *mi Parmeno*

---

[1]) KELLERHOFF, De collocatione uerborum apud Plautum. Stud. STVDEMVNDI II, p. 72.

[2]) J. SCHROEDER, De fragm. Amphitr. Diss. Argentorati 1879 p. 23. J. KOEHM Quæst. Plaut. et Ter. p. 25.

seruo dicit, qui eum dolore, quem uxoris causa suscepit, nuntio suo liberauit; cf. R. 1265 sq. Adulescens, qui As. III, 3 a seruis blandis precibus argentum auferre studet, eos appellat u. 689 *O Libane, mi patrone*, 691 *Mi Libane, ocellus aureus*, et amica 664 *Da meus ocellus, mea rosa, meus animus*[1]), *mea uoluptas, Leonida, argentum mihi*, sed ne in his quidem precibus infimis pron. semper additur; cf. *mea nutrix* Aul. 691, Ad. 288 uerba alumnæ. Seruus quoque, si lætitia et gratia afficitur, hominem liberum pronomine addito alloquitur; ex. c. Syrus, cui Demeæ opera libertas donata est, Ad. 961 *O noster Demea, edepol uir bonu's*. Hæc magis familiaris appellatio interdum etiam alio motu animi efficitur, ut anus perterrita exclamat Mrc. 683 *Dorippa, mea Dorippa*, et leno auxilium implorans R. 867 *mi Charmides*. Cf. porro ex. c. initium scænæ Ad. II, 4, ubi fratres conueniunt; alter dicit tantum *Ctesipho* u. 266, alter, cuius gratia et amor superfluunt, sic infit u. 268 sq. *o mi Æschine, O mi germane*. Senex cum filia seuere loquens eam appellat *Philumena* Hc. 243; uir, qui uxorem reprehendit, *Sostrata* Hc. 223, ea autem, quæ se excusare studet, *mi Laches* u. 206. Ph. 254 adulescens dicit *Mi patrue, salue*; is autem breuiter respondet et eum alloquitur u. 257 *Rogitas, Phædria*. Hc. IV adulescens, qui cum parentibus grauiter colloquitur, pronomine omisso dicit u. 590 *mater*, 612, 655 *pater*. Ancilla blande orans, ut cistella, quam amisit, sibi reddatur *mi homines, mi spectatores* Cst. 678, cf. 723. Sed ne amplius de hac re uerba faciam, de uerbis Demeæ monere uolo, qui antea seuerus et tristis comem et affabilem se præbere studet, Ad. 883 sq. *Quis homo? o Syre noster, salue: quid fit? quid agitur?* # *Recte.* # *Optumest. iam nunc hæc tria primum addidi Præter naturam: «o noster, quid fit? quid agitur?»* Etiam in aliis casibus hæc significatio interdum inuenitur. Am. 529 *Lacrumantem ex abitu concinnas tu tuam uxorem*, Cas. 136 *Sine tuos ocellos deosculer, uoluptas mea*, Mrc. 475; interdum quasi uocatiuum obliquum esse dicas, i. e. coniunctio uerborum, quæ in uocatiuo casu sollennis est, ad prædicatum refertur Tc. 881 *Iam ⟨me⟩ tu⟨o⟩m oculum ⟨non⟩ uocas?* Mo. 167 *Volo meo placere Philolachi, meo ocello, meo patrono*[2]), cf. R. 442, Tc. 579, et apud nomina propria An. 685, Ht. 311, 821, Hc. 588.

4. Pronomen possessiuum ui caret.

Iam pleraque exempla, ubi pron. poss. subst. ipsum antecedit, attuli, et in iis aut ui peculiari elatum aut ad sententiam necessarium erat. Sed ea quoque sunt, in quibus pron. minus necessarium sit; hæc sunt fere 52, ex. c. As. 649 *mea dicta deuorate*, Aul. 626 *Continuo meum cor coepit artem facere ludicram*. De his exemplis singillatim disputare non possum, quamquam non raro credo causam huius collocationis inuestigari posse. Sed etiamsi hæc exempla exceptiones esse statuitur, ex exemplis tamen antea enumeratis pron. subst. ipsum antecedens, nisi ui effertur, ad sententiam necessarium esse solere apparet; de causis, cur interdum etiam ui carens hoc loco ponatur, uide quæ supra p. 23 dixi.

[1]) Mss. *mi anime* corr. Pylades.

[2]) Post Bothivm h. l. legitur *Volo me*.

Proprium locum tenent uoces propinquitatem significantes, quas pron., quod abesse posse uidetur, haud raro antecedit. P. 23 ea exempla, in quibus pron. a substantiuo disiunctum antecedit, afferens, pron. etiamsi ui careat, apud has uoces sæpe collocatione conspicuum fieri dixi et explanare studui. Multo plura hæc sunt, in quibus subst. ipsum pron. antecedit; multa tamen etiam ea exempla sunt, in quibus pron., ut quis sit eluceat, apponi necesse est, de quibus egi p. 28. Dubium non est, quin hæc nonnihil ualuerint, ut pron. quamquam superuacaneum his uocibus frequenter adderetur. Si omnia hæc respicias: rem ipsam tulisse. ut pron. apud has uoces frequenter ponere necesse esset inprimis discernendi causa, et pronomine addito amorem significari, et pron. uocatiuo casu sæpe extare, — quod si ita est, locum ante subst. pron. habent, — apparere spero causas esse, cur quamquam superuacanea addita non raro subst. antecedant. Ea etiam sæpe sequi postea uidebimus. Voces enumeraui p. 28, quæ fere 105 ex. præbent, quæ huc pertinent. Ad eas accedunt uoces *sodalis*, *amici*, *-æ*, *amatoris*, quarum 18 ex. huc referenda sunt.

Coniunctio QVE inter pron. poss. et subst. intercedit.

Cur hæc exempla separatim afferam u. p. 12. Iis, quæ p. 25 attuli, similia sunt, si cum pron. personali eiusdem personæ antecedente poss. copulatur. In multis exemplis et iis præter cetera, ubi *uxor*, *filius* etc. extant, pron. abesse potest, ut Am. 1090 *tibi tuæque uxori* (16 ex.); in multis tamen figura orationis agnoscitur ut Mo. 250 *quæ se suamque ætatem spernit* cf. Ps. 1132, Cst. 365, Aul. 218; etiam magis in his Crc. 572 sq., Cp. 702, 670. Cst. 501, Eu. 383, et præsertim si pronomina non continua sunt Am. 317, Cp. 597, Mg. 219, 617, 724, St. 126. Vis augetur, si duo pronomina possessiua copulata sunt, quo facto fit anaphora (Aul. 121 *meai fidei tuaique rei*, Cas. 821, Tc. 603) uel chiasmus (Crc. 577 sq.). Porro pron. poss. ui quadam contraria præditum est, si pers. et poss. non eiusdem personæ sunt ut Pn. 1128 *mihi tuisque filiis*; item si non cum pronomine personali, sed cum substantiuo copulatur Ep. 555 sq. *uirgini pauperculæ* (= tibi) *Tuæque matri* Pn. 903, Tn. 111. Vno loco *que* pron. a uocatiuo disiungit Cas. 229 *Uxor mea meaque amœnitas*.

Adiectiuum inter pron. poss. et subst. intercedit.

Hæc exempla iis, in quibus pron. et subst. non disiunguntur, simillima sunt, ut consentaneum est. Vi pron. effertur Mg. 458, Ps. 887. St. 694, Tc. 279, anaphora Cp. 229 sq. Plerumque autem pron. est necessarium (10 ex.). Irati Am. 1084 sq., Cp. 671, Ps. 838, Ph. 949; minantis As. 909 *cum tuo magno malo* (ordine inuerso As. 901). cf. An. 179; contemnentis Crc. 579; precantis Cst. 200. — Vocatiuus Cas. 137 *meus festus dies*, Mn. 1125, Pn. 367, St. 737. — Abesse potest pron. ex. c. Cp. 363 *uolt te nouos erus operam dare Tuo ueteri domino*, (7 ex.). Porro *noster erilis filius* Ep. 164, Tn. 602, *tuam maiorem filiam* Pn. 1278, St. 66. — *que* insertum est Tn. 647, ubi pron. ui effertur.

Pronomen possessiuum substantiuum subsequitur.

Prosæ orationis scriptores pron. poss. postponere solent, nisi ui præcipua effertur[1]; comicos autem interdum, etiamsi ui priuatum est, id anteponere iam uidimus; nunc quæ uis apud eos pronomini postposito insit, exquiramus.

1. Pron. poss. ui effertur.

In hac quoque collocatione huiusmodi exempla inueniuntur præcipue in chiasmis, in quibus, qua est indole hæc figura, alterum pron. quamquam ui elatum sequi necesse est. Attributa ui contraria maiore minoreue elata sunt Am. 221 sq. *Nos nostras more nostro et modo instruximus Legiones: item hostes contra legiones suas instruont*, chiasmus trium membrorum, quorum alterum in primum insertum est ut Ad. 170; hæc duo tertio opponuntur; 409 sq., 412, (quem uersum ad u. 404, quamquam longius abest, referri uerba plane repetita arguunt) etc.; 36 ex. Vis haud ita magna est Cas. 188, Pn. 425 sq., St. 737, An. 969. Pronomina eadem non inter se contraria sunt, sed ad uim augendam per chiasmum posita repetuntur Am. 494 (p. 8), B. 97, Cp. 81—3, 711, R. 1038, Ht. 25, Eu. 1076, Ph. 43 sq., Hc. 242. — Chiasmum interdum non ad uim augendam, sed ad orationem elegantiorem efficiendam ualere dixi. Eiusmodi aliquot exempla, non omnia affero, cum pron. ui caret. Pn. 163 sq. *Vin tu illum hodie sine dispendio Tuo tuam libertam facere?* 1339, St. 747, Tn. 822, Tc. 144, An. 534 sq., Ph. 232 (substantiua ui efferuntur), 433 sq., 959, Hc. 68 sq., 226. — His exemplis pauca addo, in quibus altera coniunctio uerborum attributiua non est (cf. prooem. p. 8 sq.), Am. 694 *te ut deludam contra lusorem meum*, Aul. 219, Mo. 991, Tn. 167. — Chiasmus non plenus inuenitur Am. 928 *tibi habeas res tuas, reddas meas*, Cst. 494, Ep. 337, Mn. 675, Mg. 777, Ps. 648, R. 239, Ht. 711 sq. — Duo attributa uni substantiuo adduntur St. 10 *Patrem tuom meumque adeo* (homo idem), 701, Ht. 385.

Si pron. suum utrumque subst. subsequitur, anaphora adest; quod modo ideo fit, quod subst. maiore ui effertur, quamquam pron. quoque uim habet B. 467 *Quid sodalem meum castigas, Lyde, discipulum tuom?* Cp. 316, Ep. 590, Mo. 33, Ph. 1016; modo autem uis pronominum parua est, ut decet, cum sequantur, Mg. 954 *auris meas profecto dedo in dicionem tuam*, Pr. 495, Tn. 622, sed etiam in his ex. pron. non sunt eiusdem personæ; et cum repetita pronomina iam per se magis animaduertantur et modo anaphora modo chiasmus ad orationem expoliendam adhibeatur, eo factum est ut pronominibus per anaphoram positis uis maior insit. Ep. 653 sq., Mn. 363, *fores quoi pateant Magis quam domus tua, domus quom hæc tua sit;* uis contraria est Cst. 235 *At enim ne tu exponas pugnos tuos in imperio meo*, Tc. 579, 772; An. 540 (in precibus).

---

[1]) ALBRECHT, l. l. p. 8 sqq.

In chiasmo et anaphora quoque certa ratio est, cur pron. poss. ui elatum postponatur; sunt autem alia ex., ubi, pronomine quod pondus habet sequente, talis excusatio non sit, sententia autem uim aperte indicet. Sed in his quoque non sine ratione pron. postponi e collocatione uocum *causæ* et *culpæ* inprimis apparet, de quibus dixi p. 14. Iis enim pron. poss. postponitur, ut uersum claudat; sic apud alias quoque uoces ponitur, præsertim si uerba enuntiati eiusmodi sunt, ut aliud uerbum h. l. collocari non possit. Ita in enuntiatis breuibus As. 234 *sed in leges meas Dabo*, Cas. 383, Pr. 579, R. 719 nisi ad prædicatum referendum, item 1395. Porro in his longioribus; Am. 327, Cas. 57, Ep. 139, Mg. 1104, Mo. 773, R. 1389, St. 687, Tc. 378, 519, An. 502, Ph. 685, Ad. 892; in fine coli Cst. 51 et Mrc. 112. In sede interiore uersus inuenitur Mg. 184, R. 765, Ph. 835, ubi nescio an ex metro pendeat. R. 283 *Veneri cibo meo seruio* per metrum *cibo* et *meo* permutare licet, quare hæc collocatio parum apta uidetur; eam ob rem in uerbis quæ præcedunt supplementum Spengelii *Egomet* ⟨*meam*⟩ *uix uitam colo* cum Leone recipere non dubito, quod et in hoc enuntiato pron. poss. requiritur ad sententiam efferendam et chiasmo illato coli sequentis collocatio recte se habet. Cp. 322 *sumptu et uestitu tuo* uerba ad sententiam additicia sunt nec pronomini uis inest; id tantum dicitur, cibum et uestitum dominum præbere necesse esse. Alia ratio est pronominum *noster* et *uoster*, quæ in fine uersus iambico extare non possunt et ipsa forma grauiore detinebantur, ne enclitica fierent, Pn. 399, 645, Tc. 289, Ht. 505, Eu. 313, Ad. 409 *indigna genere nostro*, 492.

His addo pauca exempla, in quibus aliquid indigne accidisse dicitur, sed exceptis Mrc 973 *Adulescenti amanti amicam eripere emptam argento suo* et Ht. 795 uis parua est. As. 416 et Tc. 184 in fine coli, Mrc. 973, Mg. 510, R. 1047 in fine uersus, B. 1102 in anapæstis, Tc. 289 *noster*, Ph. 384 *sobrinum tuom non noras?* — Paucis locis pron. significanter dicitur Cas. 383, Crc. 721 *ad trapezitam meum*, *Ad prætorem*, Pr. 579, Ps. 24 *ludis me ludo tuo* i. e. solito, cf. u. 552 *Lubidost ludos tuos spectare*, quo facto, quid inter pron. significanter et non significanter dictum intersit, bene apparet, cf. 743 *meo me ludo lamberas* i. e. meo proprio, Tc. 476; omnia in fine uersus. Ad. 398 *Vigilantiam tuam tu mihi narras?* ut cetera in enuntiatis breuibus, 409.

Cum affectus pronomine exprimitur, pron. per se non ita magnam uim habet, quamquam ad totius sententiæ uim augendam ualet; raro tamen postponitur. Irati sunt As. 416, Cp. 692 *ob sutelas tuas*, Ps. 837, Tc. 623, Eu. 651. — In minis pron. antecedere solet (p. 22 et 28); subsequitur Tc. 287 *Iam hercle ego istos fictos compositos crispos cincinnos tuos Vnguentatos usque ex cerebro exuellam*, ut uersum claudat. Præterea, ubi *mali* et *cruciatus* uoces adhibentur, interdum sequitur, quod his ipsis uerbis minæ insunt et pronomine addito sententia plenius sonat. Si substantiuo aliud attributum adiectum non est, pron. necessarium est, cum *malo* = *malo tuo* dici non possit[1]). *Malo suo* Am. 321, 366. Vt *malo* ui maiore efferatur, uerba inter pron. et subst. inseruntur, *malo cum tuo* As. 130, *cum*

---

[1]) Exempla etiam collegit Brix ad Mn. 1013.

malo fecit suo B. 503, *malo hercle uostro* Cas. 489; uel *magnus* uel *maximus* additum, As. 901 et Cas. 576 *cum malo magno tuo*, Aul. 425 *cum magno malo tuo*, Cas. 825 *malo maxumo suo*, R. 775 *maxumo malo suo*, uel utrumque fit R. 656 *malo cum magno suo*, Mn. 1013 *Maxumo hercle hodie malo uostro.* Vno loco As. 909 *Ego pol uiuam et tu istæc hodie cum tuo magno malo Inuocasti*, ubi inter *ego* et *tuo* ratio quædam contraria intercedit, pron. poss. maiorem habet uim; in ceteris uis præcipua in substantiuo posita est. Aliter se habet Mn. 133 *Meo malo a mala abstuli*, qui uersus minantis non est. Eodem modo *cruciatus* ponitur: *Cum cruciatu tuo* Am. 1033. Subst. uerbis interiectis maiore ui effertur, Am. 793 *at cum cruciatu iam, nisi apparet, tuo*, Cp. 681 *At cum cruciatu maxumo id factumst tuo*, Crc. 194 *cum cruciatu magno id dixisti tuo.* — Ægritudo animi adest R. 507 *Pessum dedisti me blandimentis tuis*, 583, An. 689. — De exemplis malum imprecantis, ubi *caput* uel *ætas* inest, u. p. 35. — Mirantis sunt Mn. 146 *Qui istic est ornatus tuos?* 300, Tn. 876, 1001, 1093. — Precantis quæ sunt non, nisi Am. 923 et Cp. 442 *Per dexteram tuam te — oro*, his adnumeranda sunt; nam in ceteris collocatio chiasmo uel anaphora magis artificiosa facta est; ex. c. in quattuor primis uu. Asinariæ duæ sunt anaphoræ inter se per chiasmum positæ. Cf. porro Mg. 541, Pn. 418 sq., An. 289, 540. — Amor in iis præcipue exemplis deprenditur, ubi cum nomine proprio poss. coniungitur, a quibus ea diligenter separanda sunt, ubi pron. tantum aliquem alicuius esse exprimit; 19 ex., ex. c. Cp. 157 *Philopolemus tuus*, quorum in titulo litterarum Crc. 429 sq., Ps. 41 *Phœnicium Calidoro amatori suo* (cf. B. 734), porro Pn. 1196 *fratris mei gnate*, 1293 *pullum tuom. Voluptas mea* Mo. 249 (quasi «uocatiui obliqui»). Deinde de uocatiuo dicendum est, quem pron. sæpius antecedit, sed in satis magna copia exemplorum etiam subsequitur. In multis pron. in fine uersus extat, hæc autem non sola causa pronominis postpositi est, cum etiam forma monosyllaba *mi* sæpius sequatur. Pron. uocatiuo casu ad amorem significandum antecedere solere antea dixi, quamquam uis tam imminuta est, ut sequi possit. Albrecht l. l. p. 9 ex epistulis Ciceronis duo exempla, ubi post nomen proprium pron. ponitur, unumque, ubi post subst. ponitur (*patrone mi*), affert, 17 autem, ubi pron. antecedit. Suspiceris forsitan orationis numero conclusæ causa hanc collocationem a poëtis magis frequentatam esse, qua de re parum nota iudicium sustineo; sed hoc quoque notandum est Terentium, cuius oratio astrictior est quam Plauti, rarius pron. summittere. Plautus enim singula fere exempla pronominis postpositi in binis antecedentis (165: 78), Terentius in quaternis antecedentis (60: 16) habet, et in his quidem exemplis quattuor exceptis forma *mi* inuenitur.

2. Pron. poss. ad sententiam non sine momento est.

Adhuc non ita multa exempla atttuli de mille et centum huius generis, quæ apud Plautum et Terentium extant. Magna pars eorum, quæ restant, ad genus pertinet, quod iam, si pron. subst. ipsum antecedit, satis frequens est; pronomen,

dico, ad sententiam necessarium est, quamquam ui peculiari præditum non est; ex. c. si quis quem seruum alicuius esse pronomine addito significat, neque de eo agitur, cuius sit seruus, ut Ps. 1162 *Pseudolus tuos allegauit hunc.* Huiusmodi sunt fere 200 ex. Am. 518 *ubin e conspectu meo?* 1066 *Exsurgite, inquit, qui terrore meo occidistis præ metu.* In coniunctionibus uerborum ut *me atque operam meam* pron., quamquam nullam uim habet, satis necessarium est (20 ex.).

Porro etiam hic exempla sunt, in quibus substantiuo pron. præualeat. De *honoris tui causa* Pn. 638 cf. Am. 867 u. p. 27. Formula solennis *Væ capiti tuo* semper hunc ordinem seruat (6 ex.), cf. Pn. 645, ubi uis contraria; aliter ex. c. Mn. 275, ubi uox propriam significationem retinet. *Væ ætati tuæ* Cp. 885, St. 594, sed *Væ uostræ ætati* Pn. 783. Re uera hæc non multum differunt a *uæ tibi; Væ capiti atque ætati tuæ* R. 375, cf. 1346, cf. *de capite meo sunt comitia* Aul. 700 (cf. Tc. 819); *pro capite tuo dedi* Mo. 211, 300, ubi subst. pleniorem significationem habet. *In te nunc omnes spes sunt ætati meæ* Ps. 111. Huc pertinent porro hæ uoces: *animus* Am. 914, Aul. 827, As. 110, B. 528, Mrc. 840, Pn. 1411, Hc. 534; *ingenium* As. 577, Cp. 368; *uita* Cp. 518, Ep. 594, Tu. 57; *cor* Am. 922, Mn. 246, sed in his omnibus exemplis pron. ui peculiari præditum non est.

Exemplis, ubi pron. necessarium est, ea proxima sunt, in quibus pron. quamquam minus necessarium conexum rerum amplius explicat; ex. c. Dordalus leno in scænam ingrediens Pr. 400 sic loqui incipit: *Quidnam esse acturum hunc dicam uicinum meum,* cf. Am. 448 *Noui erum, noui ædis nostras,* fere 80 ex. Inter hæc exempla ea notanda sunt, ubi substantiuo uel pronomini subst. apponitur et pron. poss. huius substantiui attributum est ut Pr. 400 supra allatum, St. 574 *parasitus noster Gelasimus.* Poss. modo perspicuitatis causa additur, modo satis necessarium est, ut R. 592, quæ exempla suo loco attuli.

Rei natura fert, ut sæpe incertum sit, ad utrum genus exemplum referendum sit, cum termini certi non sint; re uera tamen hoc non multum interest. Sic dubia sunt ea exempla, ubi pron. omni fere ui priuatum ablatiuo additur, ut plenius sonet ex. c. Am. 255 *Sed prœlium id tandem diremit nox interuentu suo,* 22 ex. Si ablatiuus «modi» est, artes grammaticæ • attributum necessarium esse statuunt ex. c. B. 1070 *Salute nostra — reduco — exercitum;* et in exemplis ut Am. 109 *grauidam fecit is eam compressu suo* uix abesse potest; quodsi uox frequentius usurpatur, interdum attributum omittitur; exempla præbent uerba *merito* et *immerito,* apud quæ pron. poss. modo ponitur modo omittitur u. p. 15. Ad postremum affero ea exempla uocum, quibus necessitudo aliqua significatur, ubi ratio pronominis possessiui ponendi adest; sunt 82; in plerisque abest, u. infra p. 36. Hoc genus finibus incertis sensim in aliud delabitur, in quo

3. Pron. poss. superuacaneum esse uidetur

et sententia non mutata demi potest. Pauca eiusmodi exempla inuenimus, cum subst. ipsum antecedit; hic autem multo maior est copia exemplorum, ut hoc pro-

nomine subsequente quasi sui iuris et huius collocationis proprium esse uideatur. Præcipue pron. poss. ad subiectum enuntiati spectans scriptores prosæ orationis omittere solent, quod facile intellegi potest, comici autem, quo sunt huius pronominis amore, sæpe adhibent. Interdum tamen in tali enuntiato pron., ut sententia planior fiat, necessarium est. ut Am. 18 *simulque ipse eloquar nomen meum,* quæ exempla loco suo allata sunt; cetera sunt fere 105, ex. c. Am. 129 *Nunc quom esse credent seruom et conseruom suom,* Cp. 15 *qui potestis ope uostra censerier*, cf. *capite censi*. In aliis fere 47 exemplis e sententia facile colligitur; eam ergo ob rem id addere opus non erat. Ex. c. Am. 213 *Superbi nimis ferociter legatos nostros increpant;* cum u. 205 legatos ad Teloboas missos esse narraretur, *legatos* solum satis erat. 1053 *Spes atque opes uitæ meæ iacent sepultæ in pectore.* Porro magna copia talium exemplorum apud uoces, quibus necessitudo aliqua significatur, inuenitur; sunt pæne centum quinquaginta.

Adiectiuum inter subst. et pron. poss. intercedit.

Adiectiuo inserto subst. et pron. non disiunguntur (cf. p. 31); exempla ceteris simillima sunt. Vis deprehenditur in anaphora Pn. 1069 *Pater tuos is erat frater patruelis meus.* Necessarium pron. est Tc. 774 et Eu. 271 sq. *Parmenonem Summum suom,* sed h. l. melius *summus* substantiui uice fungi dicitur. Explicationis causa additur B. 1113, Cas. 478, Mrc. 183, Ph. 35. Minæ (cf. p. 33 sq.) insunt As. 901, Cas. 576, 825, R. 656, amor Crc. 11. Pron. inter attributa insertum est Mrc. 986 *Vbi locist res summa nostra publica?*

In paucis exemplis, ubi duo substantiua coniunctione *que* copulata sunt et poss. sequitur, id intercedere necesse est. Aul. 724 sq. *Egomet me defraudaui Animumque meum geniumque meum,* Cp. 445, Cst. 365, R. 674, Ph. 34 (chiasmus).

In exemplis longe plerisque pron. poss. aut omni ui carere aut, etiamsi ad sententiam necessarium est, ui elatum non esse iam uidimus. Ergo poss. subst. subsequens subst. ipsum antecedenti simile est; hoc tamen sæpius necessarium est minusque sæpe et apud eas præcipue uoces, quibus significatur necessitudo aliqua, superuacaneum ponitur. Maioris autem momenti ratio est, quæ inter ea exempla, in quibus poss. ui peculiari effertur, intercedit. Si enim poss. antecedit, non pauca ea sunt exempla, in quibus sententia sola indicet poss. ui efferri; si subsequitur, semper fere alia ratio, cur sequatur, adest. Sic res se habet, si attributa per chiasmum uel anaphoram collocantur, cum figura orationis ad uim constituendam ualeat. In ceteris exemplis, ubi hæc ratio non est, fere semper poss. hoc loco collocatum esse uidetur, quod anteponi non poterat, si alia uerba, ut decebat, ponenda et leges metricæ seruandæ erant. In plerisque poss. colum uel uersum claudit, qui locus formæ iambicæ causa pronomini possessiuo aptissimus et frequentissimus est. Pauca tantum exempla excipiuntur; ea primum in quibus *noster* et *uoster* extant (Pn. 399, 645, Ht. 505, Eu. 313, Ph. 29, Ad. 492), quæ propter formam grauiorem

ad accentum proprium amittendum non tam prona quam alia erant. Formæ iambicæ pronominis ui elati in interiore sede uersus leguntur Mg. 184, R. 765, Ht. 795, Ph. 835, ubi etiam necessitas quædam inesse uidetur, (de R. 283 u. p. 33), et præterea in paucis exemplis, quæ affectum animi exprimunt, in quibus uis pronominis ipsius tanta non est.

Quantum ad collocationem pronominis immutandam ualeat exitus uersus, ut uerbum huic loco aptum adhibeatur, de *causæ* uoce Leo demonstrauit (u. p. 14), et hoc in aliis quoque exemplis haud parui esse momenti ratus sum: quod si pron. sequitur, tam late patet, ut sua disputatione dignum sit. De 950 fere exemplis pronominis forma iambica uel pyrrhichia subsequentis 500 fere pron. in exitu uersus et 30 fere in fine coli ante diæresin et decem in creticis præbent [1]). Res satis apparet. Paulo plura exempla sunt pronominis subst. ipsum antecedentis, quorum 12 Plautina et 11 Terentiana pron. in fine uersus habent; dixerit autem quispiam horum aliam rationem esse, cum pron., quod cum substantiuo arte coniungitur, intercapedine uersus ab eo diuellatur. Quodsi pron. a substantiuo disiunctum antecedit, de 450 ferme exemplis undecies in fine uersus et bis in fine coli extat. Præterea numerus exemplorum pronominis subsequentis, quod in fine uersus extat, tantus est, ut rem aliter corroborare opus non sit; hoc ergo certo constat pron. poss. subsequens forma iambica uel pyrrhichia poëtas comicos in fine uersus in iambum exeuntis magis quam alio loco collocare amare, quod, si pron. a substantiuo disiunctum sequitur, etiam magis frequentari uidebimus. Solita hac collocatione factum est, ut, etiamsi poss. uim peculiarem habebat, metri causa post subst. hoc loco quamquam raro poneretur. Si ita est, poss. uix encliticum esse potest, quod sua ui et accentu efferendum est. Item ægre encliticum esse potest, ubi subst. in fine uersus prioris, pron. in initio sequentis extat, quod interdum inuenitur, præsertim si subst. uox cretica est, ut *filius Meus* (19 ex., uox iambica 2 ex., quadrisyllaba 3 ex.); in longe autem plerisque exemplis pron., quod ui non effertur, encliticum esse consentaneum est, quod interdum metrum confirmat (u. p. 12).

Pronomen possessiuum a substantiuo disiunctum sequitur.

Hæc collocatio apud scriptores prosæ orationis inusitata a poëtis comicis satis frequentata est. Non dubito, quin in prosa quoque oratione exempla pauca inueniri possint — Albrecht quidem l. l. nulla affert — cum autem apud comicos magna copia adsit, hæc collocatio magis poëtica esse iam uidetur, quamquam parum notum est, quomodo res se habeat apud prosæ orationis scriptores et poëtas ceteros. Hæc opinio etiam magis confirmabitur, cum pleraque exempla formas iambicas uersum concludentes præbere infra uidebimus; sed primum quæ uis sit pronominis possessiui hoc modo collocati, exquiramus.

---

[1]) Plautus fere 466 de 845 et Terentius 65 de 130.

1. Pronomen possessiuum ui effertur.

Ab iis exemplis, in quibus pron. uim peculiarem habet, et ab iis quidem, quæ chiasmum præbent, incipiamus; quo facto statim apparet hæc exempla perpauca et pro ratione omnium exemplorum pauciora esse quam ea, ubi pron. subsequens pars chiasmi est. Quodsi uim pronominis seiuncti accuratius consideres, in multis ad sententiam leue uique carens id esse inuenies, ut non nisi, ut chiasmus expleatur, adhibitum esse pæne uideatur. In his exemplis ad subi. poss. refertur et uim perparuam habet: Am. 662 sq., As. 112 sq. ***tu mihi tua Oratione omnem animum ostendisti tuom***, Cst. 36, Crc. 67, Mg. 507, Ad. 170. Item in his poss., quod ad subiectum non refertur, uim paruam habet: B. 534 ***Estne hic meus sodalis?*** # ***Estne hic hostis quem aspicio meus?*** Crc. 105 sq., Tc. 78; Hc. 596. Si uis contraria adest, sæpe in priore membro chiasmi pron. antecedit; ergo sequitur in posteriore: As. 210 ***meo de studio, studia erant uostra omnia***, Cas. 194 sq., Ps. 857, R. 1355, 1364 (?), St. 199 sq., Tn. 571.; An. 646; si pron. in priore membro sequitur, uim multo maiorem habet antecedens in posteriore As. 605 ***Sermoni iam finem face tuo; huius sermonem accipiam***, Crc. 602, Mg. 284, 1048, Mo. 325, Pn. 892; præterea Crc. 602 et Pn. 892 exceptis pronomina quam proxima collocantur. — Am. 827 utrumque alii notioni opponitur; u. p. 26. Chiasmus non plenus hic unus esse uidetur St. 664 sq. ***Ibi uoster cenat — Ibidem erus est noster.*** Hc. 249 ***in rem et nostram, et uostram, et*** inseri necesse est. Paucis locis uni uoci pron. opponitur Aul. 427 (uerba irati). Cp. 801 ***Qui mi in cursu opstiterit faxo uitæ is*** [***extemplo***] ***opstiterit suæ***, Mo. 134 sq. et ui parua Cst. 499; Crc. 628, Mrc. 625, Pn. 413, Hc. 667 u. p. 39, R. 508 u. in ima p.

Anaphora, ubi utrumque pron. sequitur, etiam rarior est. Vis minima Am. 1095 sq. ***ædes primo ruere rebamur tuas: Ædis totæ confulgebant tuæ***, Aul. 812, Mrc. 261; nec multis exemplis uis aliqua inest, Ep. 653 sq. Cp. 316 ***Quam tu filium tuom, tam pater me meus desiderat;*** hoc tamen loco re uera coniunctiones attributiuæ pron. personalibus opponuntur. Ep. 590 ***Negat hæc filiam me suam esse, non ergo hæc mater meast,*** ubi ***suam*** ne necessarium quidem est (cf. u. 588), sed studio concinnitatis additur. De Mo. 33 et Ph. 1016 u. p. 32.

Cetera exempla, ubi pron. hoc modo collocatum ui effertur aut uim quandam maiorem habet, nunc afferam. Aul. 200 ***De communi re appellare mea et tua*** et Ps. 584 ***inimicum ego hunc communem meum atque uostr⟨or⟩um omnium*** his attributis sententia uocis ***communis*** plenius explicatur, quare sequi debent, Cas. 418 ***Pietate factumst mea atque maiorum meum*** subst. ui ironica effertur (cf. Mo. 33), pron. tantum necessarium est. Præterea his locis ut Hc. 249 cum pronomine poss. alterum attributum copulatum est, quare attributa, ut quæ grauiora sint, sequuntur. De ***causa*** Mrc. 151 et ***culpa*** Ep. 279, Eu. 980, cf. Cp. 803 u. supra p. 14. ***In rem — tuam*** Cp. 386 metrica necessitas inest, Mg. 995 ***qui de uesperi uiuat suo*** («egen»), R. 508 ***Scelestiorem cenam cenaui tuam Quam quæ Thyestæ***, Hc. 687 ***Tempus dixi esse:***

inpulsu duxisti meo sic scriptum esse uidetur, ut uersus in iambum exiret. In ceteris exemplis subst. ui prævalet. Aul. 427 *Sed in ædibus quid tibi meis nam erat negoti* e collocatione *ædibus* maiore ui efferri apparet. Item subst. ui magna effertur Crc. 698 *Bene et pudice me domi habui # Haud uoluntate id sua: Æsculapio huic habeto quom pudica's gratiam*, neque alio loco pron. poni poterat. Mrc. 625 *Perdidisti me et fidem mecum tuam, fĭdem* ut *tŭam*, sed quamquam pron. poss. uim personali *me* contrariam habet, uocis *fidem* uis etiam maior est, e quo causa collocationis elucet. Item Hc. 667 *Vxor quid faciat in manu non est mea* et Pn. 413 *Maiorem partem in ore habitas meo.* An. 23 *desinant Male dicere, malefacta ne noscant sua*, uerbumne *sua* contrario audito (ut de *meis* dicunt) efferatur, dubito; utut est, *malefacta*, ut uerbo *maledicere* quam proxime accedat, anticipari elucet, nec poss. alio loco collocari potest. Tn. 666 *sponte non tuapte*, ubi litotes quæ dicitur inest, ipsa forma uis indicatur; cf. exempla ubi *suus sibi* sequitur, p. 16.

Significanter dicitur pron. poss. Crc. 23 *quod te aut genere indignum sit tuo*, cf. Am. 820 (p. 28); h. l. autem cum *te* præcedat et *genere* et *te* inter se opponantur uis multo minor est. R. 4 *tempore exoritur suo.* Ad postremum pauca exempla afferenda sunt, in quibus pronomini uis plenior inest, quod affectum animi exprimit, quod in hac collocatione rarum est. Indignantis Am 883 *dedecoris a uiro argutam meo*, B. 1190, Mrc. 171, Ph. 511. Minantis As. 419 *latera conteram tua*, R. 1007 *iam in cerebro colaphos apstrudam tuo*; de *mali* et *cruciatus* uocibus u. supra p. 33 sq. Irati Aul. 427 (u. supra), Cp. 601 *qui me insanum uerbis concinnat suis*, Cas. 612 *cumque amica etiam tua*, ubi *etiam* ut *quoque* post uerbum suum positum est. Contemptus adest R. 795 *Minacias ego flocci non faciam tuas* et forte St. 91 *Sat est osculi mihi uostri.* Precantis sunt R. 696 *In custodelam nos tuam ut recipias et tutere* et Ad. 489, de quo u. p. 29, et Cp. 149. Amor in his deprehenditur, ubi quasi uocatiuus obliquus dictus est: As. 667 *hædillum me tuom* (diær.) *dic esse uel uitellum* Cst. 247; porro Eu. 1051 *nil est Thaide hac, frater, tua Dignius quod ametur.*

2. Pronomen possessiuum ad sententiam momenti est.

Inter ea exempla, in quibus poss. maiorem quandam uim habet, quam si ad sententiam necessarium est, non pauca sunt, ubi subst. etiam maiore ui effertur; quare subst. collocatione magis conspicuum factum est, et poss. postpositum est. Hoc etiam sæpius occurrit, cum subst. pondus habet, poss. autem aut ui caret aut superuacaneum esse uidetur. Primum huiusmodi exempla affero, in quibus poss. ui leui, ubi metro aptum est, extare solet. Am. 386 *Fugit te ratio # Vtinam istuc pugni fecissent tui, pugni*, quæ uox *rationis* uoci contraria opponitur, eo ui magna præditam esse apparet, quare in initio enuntiati locum habet; pron. *tui*, quod ad sententiam quamquam necessarium leuius est, in fine uersus extat. Eadem ratio contraria his exemplis inest: Am. 659, As. 207, Aul. 455, B. 534, Cp. 244, 801, Cas. 391, Crc. 213, Ep. 112, Ps. 849 sq., Tc. 375, Ad. 40 si cum Dziatzkone *est* suppletur

Aliam uim subst. h. l. habet: Am. 813 (u. p. 42), As. 191 (u. p. 27), 926, Cp. 838 (u. p. 5), Cst. 3, Mo. 33, Ht. 389, 695, 1035, Hc. 524. Cf. porro Mg. 1306 *quid oculo. factumst tuo?* Mo. 785, 1138, Pn. 1115, 1227, Tc. 178, 283, 595, An. 324, Hc. 548. In plerisque autem exemplis hæc ratio non apparet, et licentia maior facta est. Cf. ea multa exempla, in quibus attributum subiecti uerbis interiectis sequitur, sed etiam in his, qua est hæc collocatio indole, uis substantiui augetur ut Mg. 270 u. p. 43.

In ceteris exemplis pron., quamquam nulla ui effertur, ad sententiam recte intellegendam necessarium est. Am. 205 ***Teloboïs iubet sententiam ut dicant suam*** ratio contraria non adest, cum sententia Teleboarum non commemoretur, sed pron. necessarium est. 62 ex. Hæc exempla pro ratione omnium pauciora sunt quam ea, quæ p. 35 attuli, ubi poss. subsequens necessarium est. Ad hæc pauca exempla accedunt, in quibus poss. substantiuo præualet, quamquam neutrum magnam uim habet (cf. supra p. 27 et 35), As. 191 u. p. 27 ***animus retur meus*** Ep. 538, cf. Mn. 462, Ht. 408, forte Am. 343, ***aures expectant meæ*** As. 331, ***Cor conligatis uasis expectat meum*** Ps. 1033, ***a pedibus apscedam tuis*** Mo. 857 et forte ***num oculis concessi tuis*** Ep. 681, semper in fine uersus.

Hic ut alibi ab hoc genere id ægre discernitur, in quo pron. poss. non tantum ad sententiam necessarium quantum perspicuitatis causa additum est, ex. c. Am. 860, ***Quidquid est, iam ex Naucrate cognato id cognoscam meo,*** pronomine demonstratiuo præcedente Am. 116 ***hunc ne ornatum uos meum admiremini,*** 22 ex. Sic etiam apud subst. ablatiui casus de quo confer p. 35. De ***merito*** u. p. 15; præterea haud raro in hac uerborum coniunctione ***oculis*** (inspexi) ***meis*** Mn. 597, 1001, R. 494, 1166; cf. porro As. 504 ***Nequeon ego ted interdictis facere mansuetem meis?*** Aul. 625, B. 652, Ps. 769, 868, Tn. 846, 1052, Hc. 57. Deinde ea exempla, in quibus pronominis apud uoces necessitudinem aliquam significantes ponendi ratio inuenitur, sunt 42.

3. Pronomen possessiuum abesse posse uidetur.

Hoc genus ab iis de quibus dixi interdum ægre discernitur; multa autem exempla luculenta sunt, ut sæpe ***in animum inducere*** pronomine non adiecto dicitur, nonnullis autem locis pron. in fine uersus adicitur Cp. 149 ***Numquam istuc dixis neque animum induxis tuom,*** 6 ex.; cf. porro Am. 194 ***Regique Thebano Creoni regnum stabiliuit suom,*** 866 ***uestitum immuto meum,*** cf. Cp. 37 et Eu. 609, ubi pron. deest. 77 ex. In his exemplis poss. ad subi. refertur, in aliis ex sententia audiri potest, Am. 1044 ***Qui peruorse perturbauit familiæ mentem meæ,*** 27 ex. Datiuo pronominis personalis, qui per se satis est, poss. eiusdem personæ additur, Cp. 520 ***Nec subdolis mendaciis mihi usquam mantellumst meis;*** 9 ex. Porro apud uoces, quæ necessitudinem aliquam significant, pron. sæpe abesse posse uidetur; 74 ex.

Exemplis iam recensis apparet pron. poss. sequens a substantiuo disiunctum subst. subsequenti simile esse, nisi quod etiam magis sæpiusque ui caret. Perpauca ea exempla sunt, in quibus ui effertur, et in iis collocatio ex metro aliisque rebus apta est. His exceptis poss., nisi aut quamquam necessarium ui non effertur aut superuacaneum est, hoc modo non collocatur. Principia huius collocationis supra significaui; nunc autem exemplis allatis causas plenius repetere et exponere licet. In plerisque exemplis, in quibus subst. magna ui effertur et eam ob rem a pron. poss. disiunctum propius initium enuntiati positum est, uerba complura interiecta sunt, nisi enuntiatum breue est ut *Vir ego tuos sum?* Am. 813. Hanc collocationem antiquitus traditam esse monui, sed in multis exemplis, præsertim si subi., cuius locus est initium enuntiati, ui effertur, causa alia est, etiamsi ad collocationem ualuit, quod disiungendo semper uis uerbi antecedentis augeri potest. Apud comicos enim poëtas noua sententia ab initio uersus incipere solet et, si in interiore uersu incipit, raro a postremis uerbis uersus incipiens hæc et uerba uersus sequentis comprehendit. Quoniam igitur poss. uerbis interiectis sequens plerumque in fine uersus collocatur (u. infra) initiumque enuntiati, quod subst. uim maiorem habens petit, a fine uersus longius abest, subst. quod pondus habet sæpe a pronomine longius abest.

Iam in initio disputationis hanc collocationem inprimis ad poëtas pertinere dixi et nunc rem, e qua ita esse magis apparet, attigi. Pron. poss. subst. subsequens sæpe uersum claudere supra comprobatum est; uerbis interiectis hoc loco multo sæpius quam alio collocatur. Nam de 415 fere exemplis, ubi formæ iambicæ a substantiuo disiunctæ sequuntur, hunc locum occupant in 320, et his adiungenda sunt 15, ubi in fine coli ante diæresin extant [1]). Hic locus pronominis poss. proprius est, si causa non adest, cui alia collocatio debetur; nam in ceteris exemplis, quæ nunc percensenda sunt, ratio collocationis facile perspicitur. Subst. si ui effertur aut si quo modo ad sententiam maius habet pondus, ex. c. si anaphoricum est i. e. ad sententiam præcedentem se refert, in initio enuntiati poni solet. Hac de causa sæpe fieri, ut poss. uerbis interiectis sequeretur, supra dixi, quamquam ea exempla sola attuli, in quibus uis magis conspicua esset. Quodsi poss. ad sententiam magis necessarium est neque in fine uersus collocari potest, ex. c. quod alius ante finem uersus loqui incipit uel uersus in iambum non exit, id in interiore uersu extare consentaneum est ex. c. Mrc. 523 ***Operam accusari non sinam meam* # *Em, istæc hercle res est.*** Cas. 418 ***Pietate factumst mea atque maiorum meum,*** ratio alia est. In quibusdam exemplis poss. ad sententiam magni momenti non est ut Am. 1095 (p. 38), ubi anaphoræ causa additur; chiasmi causa Crc. 602; cf. porro

---

[1]) Etiam numero comprehendenda esse credo duo exempla, ubi pron. ante cæsuram sept. troch., quæ est post thesin quartam, extat, Aul. 812 et Mo. 235. R. 696 (sept. iamb.) et Mo. 745 (oct. iamb.) pron. colum explet, sed ultima syllaba eliditur uerbo sequenti a uocali incipiente. — Apud Plautum ratio exemplorum ea est, ut pron. de 350 exemplis in 260 uersum, in 15 colum, apud Terentium de 70 in 64 uersum claudat.

Pn. 192, R. 1147, 1267; in aliis pæne superuacaneum uidetur Mrc. 261, Mo. 1138, Pn. 1144, Ps. 293, Ph. 1033.

Interdum, cum enuntiatum breue est et subst. ui effertur, uerbum atonon solum inseritur, ut Am. 813 et Hc. 524 *Vir ego tuos sum?*, ubi *uir* quam uehementissime effertur. Verba, quorum accentus leuior est, ad uerbum, quod maiorem habet accentum, et præter cetera ad primum enuntiati se applicant; cum autem nec semper hoc loco poni possint nec ponantur, alii cuidam uoci accentu maiore summittuntur, eoque sæpe uerba arte inter se coniuncta separantur. Eiusmodi haud pauca sunt exempla, quod, cum subst. semper accentum habeat, consentaneum est. Coniunctiones haud raro inseruntur: *si* Cst. 3, Pn. 892, Ps. 638, 1106, *ut* Mrc. 659, Mo. 1043, *ne* Crc. 605, quamquam in his exemplis subst., cum in initio enuntiati collocatum magis conspicuum fiat, eo ui effertur. Præpositio inseritur As. 130, *Viris cum suis* Cst. 36, Mn. 839. Formæ uerbi substantiui: *est* Cp. 1018, *sint* Mrc. 36, *erit* Pr. 264, porro fortasse *nunc* Mn. 911, *inquam* Mo. 366, pron. *hic* (?) Aul. 154, Ps. 231, An. 324, Ph. 1033. Huic generi etiam ea ascribenda sunt exempla, in quibus pron. pers. inter subst. et poss. intercedit Am. 116, Cp. 316, *Vilico se suo dare* Cas. 195, Ep. 590, Mn. 1042, Mg. 40, Ps. 341, R. 696, Tn. 140. In aliis pron. pers. et poss. continua ponuntur, sed subst. uerbis interiectis antecedit. Quæ collocatio ei rei debetur, quod, cum pronomina continuare romani amarent, pron. pers. ad se poss. attraxit ex. c. Mrc. 11 *Pater ad mercatum hi⟨n⟩c me meus misit Rhodum*, ubi *meus* et *Rhodum* per metrum permutare licet, sed *meus me* sequitur, cf. Aul. 228, Cst. 88, Tc. 846. Mrc. 929 *Quin tu ergo itiner exsequi meum me sinis? sĭnis ut mĕum;* uerba sic collocata sunt, ut prædicatum, ut assolet, enuntiatum claudat. As. 605 (u. p. 38), Mg. 1048, Mo. 325 poss. in uersu interiore a substantiuo disiungitur, ut uerba contraria quam proxima accedant. De Aul. 200 et Ps. 584 u. p. 38. Porro in metris lyricis hæc collocatio interdum inuenitur; in *creticis* Cas. 195; in *bacchiis* Cst. 3, 36, Ps. 1106, de quibus confer supra; in aliis nulla excusatio nisi metrum esse uidetur; in *bacchiis* Cp. 781, Mo. 97 sq., 785, R. 258, in *anapæstis* B. 1190, Ps. 1103, R. 919, in metro incerto Tc. 714. Mrc. 760 *Nempe uxor rurist tua quem dudum dixeras* et Pn. 1388 *Et hunc cognatum quem tuom esse intellego* poss. metri causa disiunctum esse uidetur et Pn. 894 *Quia Adelphasium quam erus deamat tuos ingenuast # Quomodo?* poss. necessarium eadem de causa disiungi uidetur. Hæc restant exempla, in quibus poss. ui carens uerbis interiectis additum est; sed hoc ut uersus expleretur tantum factum esse dici non potest; nam Ps. 482 sq. *ecquam scis filium tibicinam Meum amare?* pron. saluo metro demi potest; h. l. tamen perspicuitatis causa extat. Porro in initio uersus Pn. 192, Tc. 293; cetera sunt Mrc. 404, Tn. 1133, Tc. 528.

Ad pronomina *noster* et *uoster* collocanda exitus uersus nihil ualet, quoniam iambicas non habent formas. Hoc primum animaduertendum est ea minus sæpe a substantiuo disiungi quam ea, quæ formas iambicas habent. Nam cum formæ iambicæ — uocatiuis, qui separari non possunt, exceptis — in 895 fere exemplis subsequantur et in 415 fere a substantiuo disiunctæ sequantur (ratio quin sit 2: 1,

non multum abest), *noster* et *uoster* in 99 fere subst. ipsum et in 33 uerbis interiectis sequuntur (3: 1), quæ ratio apud Terentium etiam magis aucta est, qui formas iambicas in 125 exemplis subsequentes et in 70 separatas præbet (fere 5: 3, diligentius 12½: 7), sed hæc pronomina in 31 exemplis post subst. ipsum et in 7 separata ponit (7: $3^1/_{10}$). Apparet ergo hæc pronomina si sequuntur minus sæpe quam ea, quæ formas iambicas habent, a substantiuo disiungi, quod quin ex metro pendeat, non dubito. Quod de formis iambicis probatum est, causam aliquam collocationis adesse, si in uersu interiore extant, semper fere de his pronominibus ualet; genera eadem sunt. Subst. quod ui effertur uel maius pondus habet, antecapitur As. 345 sq. *me eius seruom prædico Esse et ædis demonstraui nostras,* Aul. 445 *opera huc conductast uostra, non oratio,* Ep. 597 sq., Mg. 284, Pn. 283, Tn. 39 *Larem corona nostrum decorari uolo* duo uerba grauissima anteponuntur, quo facto pron. recedit, Tc. 178, 283, Ht. 389, Ph. 147 sq. Interdum pron. satis superuacaneum uidetur; Pn. 814, ubi aduocati irati dicunt *Domos abeamus nostras,* St. 15 sq., Mg. 270 et 328 *fores crepuerunt nostræ* duo uerba grauissima anteponuntur; *nostræ* ad sententiam necessarium sequitur. Interdum in talibus exemplis uerbum atonon inseritur Cas. 489 *malo hercle uostro,* Mo. 946 *hic,* Hc. 548 *esset;* duo atona Ph. 819 *Heus, ne filii quidem hoc nostri resciscant uolo.* Cetera exempla, ubi uerbum atonon insertum est, hæc sunt: formæ uerbi substantiui: *sunt* As. 202, *erant* 210, *est* St. 665, *erit* Ht. 255; pron. pers. St. 91 *sat est osculi mihi uostri,* 741, Tn. 699 *ubi adfinitatem inter nos nostram adstrinxeris.* Inuerso ordine pronomina se excipiunt Ht. 389 *Quippe forma inpulsi nostra nos amatores colunt,* ubi subst. ui effertur, pron. ab eo disiungitur. Mg. 284 *Simiam hodie sum sectatus nostram in horum tegulis,* ubi etiam locus primus substantiuo debetur, idem studium uerba, inter quæ ratio aliqua intercedit, continua ponendi. deprenditur. Hc. 249 *in rem et uostram et nostram,* necesse est *et* inseri; cf. p. 38. B. 172 *qui ædibus Propinquos nostris accolis* metri causa dictum est.

Apparet, si pron. poss. uerbis interiectis sequitur, huius collocationis rationem satis perspicuam esse; quod initio dixi eam ad poëtas inprimis pertinere, confirmatum esse uidemus. Nam metri causa id fit, ut finis uersus uel coli in iambum exeuntis pronominis disiuncti proprius sit locus; pauca exempla porro in lyricis metris inueniuntur, quæ magis artificiosa et elegantiore sunt collocatione. Quodsi in uersibus trochaicis uel iambicis interioribus extat, aliæ causæ ac metrum adesse solent, quas supra recensui; sed dubitari non potest, quin elegantia poëtica effecerit, ut hæc collocatio, quæ in prosa oratione rarissima est, apud comicos poëtas multo magis frequentaretur. Exceptiones adsunt quamquam paucissimæ, quod mirari non decet, cum, ut iamiam dixi, in collocatione uerborum non leges fixæ, sed normæ tantum inueniantur. Nimirum etiam sæpe, cum uersum poss. claudit, talis quoque ratio adest, quæ exempla, ne longior fiam, omisi; in plerisque tamen deest. In iis exemplis supra allatis, ubi subst. ui elatum antecapitur et poss. uersum claudit, ut ab illo disiungatur, causa idonea est et in iis plura uerba intercedere solent;

in plerisque tamen unum uel duo arte coniuncta inseruntur; quodsi metro aptum est, poss. a substantiuo longius diuellitur, qua de re certius aliquid statui non potest.

* *
*

Vt res quam breuissime comprehendam hæc dicam: Pron. poss., quod uim peculiarem uel propriam habet uel significanter dicitur, subst. antecedere solet atque, ut maiore ui efferatur, a substantiuo disiungitur; si sequitur, quod rarum est, aut alio modo uis conspicua fit (chiasmo, anaphora, datiuo pron. personalis addito), aut metri causa raro postponitur præcipue in fine uersus in iambum exeuntis. Pron. poss., quod ad sententiam necessarium uel aptum est, iuxta subst., uel antecedens uel sequens, poni solet; sed interdum disiungitur, præsertim ut sequens in fine uersus ponatur; disiunctum subst. antecedere non solet. Pron. poss., quod superuacaneum uidetur, sequi solet sæpe in fine uersus positum; raro antecedit præcipue eas uoces, quibus propinquitas significatur, apud quas pronomina liberius collocantur.

Quod si ita exponitur, ut significationes collocationum explanentur, hæc dicere uelim: Pron. poss. a substantiuo disiunctum antecedens uim auctam habere solet, ut aut sit ui propria aut significanter dicatur. Pron. poss. si subst. ipsum antecedit, solet esse necessarium — si non semper, at sæpius quidem ita res se habet, — ac sæpe non modo necessarium est, sed etiam ui effertur, quam figura orationis non indicat, sed ex sententia sola colligere necesse est. Pron. poss. si subst. subsequitur, solet ui carere, ac sæpe non modo ui caret, sed superuacaneum quoque est. Quodsi ui effertur, figura orationis uel metrum causa collocationis est. Sæpe in fine uersus ponitur. Pron. poss. si a substantiuo disiunctum sequitur, aut in fine uersus uel coli in iambum exeuntis poni aut uerbis atonis insertis a substantiuo seiungi solet. Vis etiam rarius aucta est; quodsi augetur hæc collocatio aut figuræ orationis aut metro debetur; haud raro subst. ui præcipua elatum antecapitur pronomine non superuacaneo sequente; in plerisque autem exemplis pron. poss. aut ui caret aut superuacaneum est.

Pronomina demonstratiua.

Si ea, quæ ex disputatione de pronominibus possessiuis euenerunt, cum ratione demonstratiuorum comparamus, iam ex numeris (quos infra affero sub pronominibus singulis) apparet in eo dissimilitudinem deprehendi, quod locum post subst., ubi possessiua, si ui carent, sæpissime inueniuntur, demonstratiua repudiant idque iure suo. Nam pron. demonstr. naturæ et significationis causa numquam fere omni ui priuari potest, ut superuacaneum sit nulloque negotio abesse possit[1], ut sæpe in possessiuis inuenimus. Ratio enim possessiua sæpe ex sententia auditur et pron. poss. sæpe additur, quamquam opus non est; demonstratiuum autem, ubicumque extat, eo nomine additum est, ut subst. eo loco notum uel certo modo compa-

[1]) *Is* et *ille* pauca exempla præbent, de quibus uide infra.

ratum esse significet uel designet. Quæ uis numquam ita obscurari potest, ut pron. ad sententiam percipiendam nullum momentum habeat. Quare quod de possessiuis ualet — ea si postponuntur, ui carere et enclitica esse solere —, ad hæc adhibere non licet; sed si postponuntur, id alia ratione explanandum est. Cum porro momentum quoddam maius minusue semper haberent, ut, quo loco collocari deberent, sæpius ambiguum esset, et cum pron. dem. et uerbis interiectis antecedens et subst. ipsum antecedens ui peculiari efferri posset, in his ut in possessiuis discrimen inter utramque collocationem (ante subst. dico) non stricte seruabatur. Sic etiam fit, ut pron. dem., quod solitam uim tantum habet, a substantiuo diuelli possit.

IS.

Subst. ipsum antecedit apud	Plautum	186,	apud	Terentium	59.
uerbis interiectis antecedit	»	64,	»		18
subsequitur	»	5,	»		—.

uerbis interiectis sequitur numquam. Ex his numeris apparet *is* pron. locum ante subst. ipsum habere, a quo cur interdum recedat, persequi conabor.

Pronomen IS a substantiuo separatum antecedit.

Antequam exempla percensentur, sententiam Bachii, qui uberrime de significatione pronominum demonstratiuorum disseruit[1]), commemorare et æstimare necesse est. Is enim dicit p. 344 de pronomine *is*, quod ad enuntiatum relatiuum spectat: »Atque si maiore quadam grauitate efferri uidetur restringens aliquam remtum non tam *is*, quod per se omni ui caret, extollitur quam tota notio enuntiato relatiuo expressa«. *Is* plurimis locis, ubi ad en. relatiuum spectat, ui quidem caret, sed tamen id, quod Bach l. l. affirmauit, semperne recte se habeat, dubito. Nam in sermone ualde difficile est totum enuntiatum ui efferre, atque etsi fieri posse non nego, reuera tamen rarissime accidit. Si contra ea notio, quæ enuntiato relatiuo expressa est, ui efferenda est, id uerbo significationis communis fit, quod notionem repetens et in mentem reuocans comprehendit, et quia unum est, multo melius quam totum enuntiatum accentum sententiæ recipiens uocis intentione efferri potest. Præterea hæc exempla ab iis, in quibus *is* pron. ad enuntiatum primarium præcedens se refert ut As. 73 etc. u. p. 48, re ipsa distincta non sunt. In utroque genere pron. *is* notionem simulac repetit, comprehendit et ui effert. Pron. in his exemplis magnam uim habere ne Bachivm quidem serio negare credendum est.

P. 349 hæc uerba facit: «Plerumque cum illa notio, ad quam *is* pertinet, in superiore aliquo enuntiato legatur, hoc pronomen præditum est ui notionis repetendæ; quæ notio ad *is* adici potest forma sententiæ relatiuæ, ueluti Trin. 374 *Soror illist adulta uirgo grandis: eam cupio* — idem est atque «eam sororem adultam —, quæ illi est, cupio», ubi *eam*, cum omni ui careat, omitti potest». His locis collatis pron. ipsum semper ui carere putare uidetur. Vtrumque enim modum

[1]) I. Bach, Stud. Stvdemvndi II, p. 145 sqq.

loquendi ad sententiam idem ualere credit. Cum autem BACH sententiam suam de ui pronominis non dedita opera aperuerit et rem leuiter tantum attigerit, omnibus locis eum uim pronominis negare pro certo non dici potest, quamquam ex locis allatis uerisimile uidetur. Sed uereor, ne hæc sententia illo ipso exemplo, quod BACH attulit, Tn. 274 refellatur. Qui illam scænam attente perleget, animaduertet, quanta grauitate hoc dicatur eam ipsam puellam pauperem esse, quam adulescens uxorem ducere uelit, et quam languidum illud sit, quo BACH sententiam circumscripsit. In ipso pronomine omnis uis rei nouæ miræque inest, nulloque modo id abesse potest; nos dicere debemus: «henne är det som jag —». Nam quare pron. *is* uim non habere potest? *is* significat «is de quo supra dictum est», nisi ad enuntiatum relatiuum sequens spectat (uerum tamen hic quoque exempla, quæ BACHIO obstant, inueniuntur ut Mg. 621 u. p. 48). Illa significatio personam uel rem certam secernit et notat, et si eam ipsam personam uel rem esse, uel eam esse multum interesse notandum est, pron. quod hoc significat ui efferri necesse est. Inprimis cum antea de aliqua re fusius narratum est et deinde hoc in unum comprehensum pronomine repetitur ita, ut ad id, quod antea dictum est, referatur, opus est ut Tn. 374, Aul. 267 etc. Eodem modo res se habet, cum pro *is talis* substitui potest. Significatio utraque ex eodem fonte defluxit, quamquam hæc magis generatim dicitur et, ut ita dicam, collectiua est.

Exempla ita digerere mihi aptum uidetur, ut primo loco ea enumerem, in quibus pron. *is* uim peculiarem habet, quod personam uel rem certam denotans eam ipsam personam uel rem esse ui maiore ostendit; altero loco ea exempla uenient, in quibus pron. ad genus spectans, non ad rem uel personam singulam in similitudinem pronominis *talis* abit; tertio loco ea afferenda sunt, in quibus, quamquam pron. non ita magna ui effertur, subst. multo minoris momenti est, quam rem loco suo amplius explicabo.

A. *Pron. IS ui rem singulam denotante effertur.*

Cum Amphitruoni pateram, quam se bene conditam habere credidit, uxor profert, maxima cum admiratione dicit Am. 781 ***Hæc east profecto patera*** — just den —; cf. porro Ep. 53, Mn. 186, Mg. 880, Mo. 664, 926, Pr. 532, R. 1119, St. 191 ***Ei hercle ego uerbo lumbos diffractos uelim***, ubi ira conspicua est, Tc. 68 ***Ea nimiast ratio***, quod ex. generi alteri prope accedit, 473; An. 85 sq. ***Chrysidem — nam Andriæ Illi id erat nomen*** in explicationi sequenti, ut melius animaduertatur, Eu. 31, Hc. 50 ***quæstum*** aut cum ***eum*** aut cum ***maxumum*** coniungi potest, Ad. 368 ***qui id dedissem consilium*** sc. ut puella lenoni eriperetur; de quo consilio quoniam numquam dictum est, sed id factum esse tantum narratum est, pron., ut hoc appareat, efferri necesse est. Forsitan *id* «tam præclarum» ualere cogitauerit quispiam. An. 799 et Hc. 172 uis minor est, item Hc. 147.

In quibusdam exemplis uis uix inesse uidetur; quæstiones dico, in quibus uerbum substantiuum inter pron. dem. et subst. inseritur, ex. c. Crc. 581 ***Quis is***

ést homo?; quodsi consideramus eum qui quærit de ea ipsa persona uel re quærere quæ quæ sit pronomine definitur, uim quandam ex eo effici uidemus, quod pron. dem. uerbum est, de quo quæstio agitur. Cf. ex. c. R. 1052 *Tuosne hic seruos est?*, ubi pron. poss. eo ui effertur, quod de eo quæritur. Pronominis tamen demonstratiui uis minor est in his exemplis. In nostra quoque lingua demonstratiuo in talibus exemplis uim inesse ex eo apparet, quod nos id circumscribere solemus uerbis «hvad är det för en —». Talibus igitur locis pron. dem. uim quandam habet; quare uerbum substantiuum, quod encliticum est neque enuntiatum claudere solet, inseri par est. Sic Crc. 581, Ep. 702, Mg. 282, Pn. 1146, *Vbi is ést homo?* Crc. 652, R. 391, *Quid eost argento factum?* Mo. 636. Quodsi uerbum breue monosyllabum, quod *is* antecedit, ictu feritur, legimus *Quís is homóst?* Mn. 650, Mg. 176 Ps. 984.

Porro uis perspicua est, ubi pron. dem. solum satis est, sed ut plenius sonet uehementiusque efferatur, subst. additur. Nos «just» adiungere possumus. Sic pro *eo* ui maiore ponuntur *ea — gratia* et *ea — causa*. Ad id quod præcedit referuntur Aul. 267, Mn. 892, An. 433, Hc. 348. In aliis exemplis ad enuntiatum sequens pron. spectat: Aul. 32, (Mrc. 223 restituitur), Hc. 255; cf. porro Aul. 575 et Mrc. 623. Pron. *is* et *homo*, quæ uerba sæpe pro pronomine solo coniuncta adhibentur, continuari solent, et si continuantur, pron. non nisi raro ui effertur ex. c. Ps. 748 *Ecquid is homo scitust?* Disiunctis uis augetur As. 348 *sed eum sese non nosse hominem qui siet.* In initio actus quarti Epidici mulier senem quem quærit postquam descripsit, dicit u. 536 *Peruelim mercedem dare, qui monstret eum mi hominem aut ubi habitet*, item fere Pn. 593; explicationis causa Pn. 904; in quæstionibus Crc. 581, 652, cf. supra. Tn. 1022 *Inter eosne homines* ualet idem ac *tales.* Hæc exempla iis quam proxime accedunt, in quibus

B. *Substantiuum abesse poterat.*

Sed hæc exempla in alia condicione sunt atque ea, quæ supra tractaui, quia in his non tam pron. ui effertur, quam subst. perspicuitatis causa superuacaneum additur. Causam ex eo peto, quod primum pron. substantiui loco ponitur, quasi ut solum extet, deinde autem perspicuitatis et uerbositatis sermonis quotidiani gratia subst. quoque apponitur, quam ad rem in nostra quoque lingua propensi sumus. Causa ergo uerba disiungendi in his exemplis alia est atque in iis, quæ antea percensui et quæ sequuntur; in eo tamen similia sunt, quod pron. priores partes maiusque habet momentum. In prologis inprimis huiusmodi exempla inueniuntur, in quibus, quippe qui ideo dicerentur, ut spectatores, quomodo homines et res inter se nexi essent, recte tenerent, cauendum erat, ne quicquam ambiguitatis inesset[1]). Sed non modo in prologis *is* pron. hoc modo usurpatur, sed usque quaque, ubi res magis impli-

[1]) Vt intellegas, quantopere poeta nisus sit, ut spectatores omnem rem recte tenerent, pellege uersus prologi Militis a u. 104. 104 *miles*, 105 *illam amicam eri*, 106 *eius matri*, 108 *miles apud lenam*, 109 *militi*, 110 *lenæ* ubi, quasi de re nondum liqueat, apponitur: *matri mulieris Quam*

catæ exponuntur. Hæc quoque exempla inter se ui dissimilia sunt; in aliis subst. appositio quæ uocatur plane esse uidetur[1]), in aliis magis minusue superuacaneum est; in omnibus autem pron. maius habet momentum. Exemplum luculentum prologus Am. præbet, ubi u. 98 *Amphitruo* —, 99 *Quicum* — sic excipit u. 100 *Is nunc Amphitruo.* Vide porro Am. 763, Aul. 29, 163, 689, Cp. 161, Mn. 68, Mrc. 391, Mg. 111, 113, 1110, Mo. 481, 482, Pn. 75, 78, 904, R. 41, Tc. 799, Eu. 12, Ad. 15; Mg. 113 pron. quoque salua sententia deesse poterat, quamquam potiore iure est.

C. *IS idem quod TALIS ualet.*

Inter pronominis *is* in his et in prioribus exemplis significationes id interest, quod in his pron. ad genus refertur, in illis ad certam rem uel personam. Cum *is* in significationem *talis* abit, significanter quoque dicitur, ut notione aut uirtutis aut uilitatis imbuatur; quod cum ita sit, una cum significatione pleniore maiore quoque intentione effertur. Hæc significatio bene nota est, exemplaque ubiuis sine negotio reperiuntur: ex Plauto unum affero, in quo necessaria est hæc uis. Ep: 166 sq. *Plerique homines, quos cum nil refert pudet, Vbi pudendumst, ibi eos deserit pudor, Quom usust ut pudeat. Is adeo tu's.* Cum pluralis antea usurpetur, *is* necesse est ualere: «unus de eorum genere, talis». Exempla pronominis attributiui sunt As. 72 sq. *beneficiis me emere gnatum suom sibi. Eos me decretumst persequi mores patris* i. e. tam bonos mores, 554, B. 606 *In eum hæc reuenit res locum, ut — nesciam*, item Ht. 359, Ph. 175; B. 1086, Mg. 621, 623, 996 Ps. 137, 590, 828, Tn. 1022, Hc. 548 *Vt eo essem animo* i. e. tam malo, qualem descripsisti.

Hæc restant exempla, in quibus *is* ui caret; in omnibus pron. ab enuntiato relatiuo subsequente excipitur; R. 1081 *ea quæ olim gestauit crepundia*, Tc. 131, Ph. 513, 1013; subst. etiam nisi Tc. 131 ad en. rel. referri potest, cf. infra p. 60.

Pronomen IS substantiuum ipsum antecedit.

Disiunctum ut alia pron. *is* antecedens ui effertur; sed etiam subst. ipsum antecedens ui efferri potest; in plerisque autem exemplis uis solita est. Hæc afferre opus non est, in illis tria illa genera decernuntur, quæ supra uidimus. Pronomen ui rem uel personam singulam denotante effertur ex. c. Am. 145 *id signum Amphitruoni non erit;* 20 ex. — *Is* est *talis* Pn. 1201 *Non eo genere sumus prognatæ, tametsi sumus seruæ*, Ad. 272, fortasse etiam B. 143. — Subst. superuacaneum

---

erus meus amabat, deinde, *nam is illius filiam Conicit in nauem miles clam matrem suam Eamque huc inuitam mulierem in Ephesum aduehit.* Nonne hic distinctio abundat? Illius perspicuitatis studii exemplum luculentum est Mg. 142, quamquam in eo pron. et subst. continuantur. De pron poss. u. p. 19 et 28, *hic* p. 51.

[1]) Sic explicanda est quæ dicitur synesis generis in conuiciis esse (SCHMALZ, Handb. d. klass. Alt. ed. MÜLLER II*2 p. 225), ex. c. B. 1095 *Is me scelus auro usque attondit;* certe «han, den bofven».

addi uidetur As. 336 sq. *argentum huc remisit —: adulescens uenit modo, qui id argentum attulit,* B. 686, 805, Cas. 39, 48, Cst. 171, Ep. 55, Mn. 577, Mrc. 234, Mg. 142 (cf. p. 47 a. 1). Hæc exempla iis, in quibus uerba separantur, simillima sunt, et ut ea hoc modo comparata sunt, ut res quam planissime euadant, quare etiam pleraque in narrationibus et descriptionibus inueniuntur; id autem interest, quod pron. et subst. in his artius coniuncta sunt et pron. minus momentum habet quam in illis. Cetera ex., ubi uim solitam *is* habet, afferre opus non est. Præterea in plerisque exemplis præcipue apud Terentium, qui 15 tantum habet, in quibus uoces *rei modi causæ gratiæ pacti* non insunt, certæ paucæ uoces extant, quæ sæpissime cum pronominibus coniunguntur.

Pronomen IS substantiuum sequitur.

Tres loci, ubi pron. subst. subsequitur, melius sic intelleguntur, ut subst., ut maiore ui efferatur, ab enuntiato diuulsum anticipetur et deinde pronomine repetatur. Am. 255 *Sed proelium id tandem diremit nox,* Cas. 55 *Filius is autem armigerum adlegauit suom,* 767 *Vilicus is autem cum corona — ambulat.* Sic nos quoque dicimus »men drabbningen, den —», ut aliquem ad rem nouam attentum faciamus Hæc uis peculiaris ex eo apparet, quod in omnibus his exemplis transgressio ab alia re in aliam fit, quæ uno loco *sed*, duobus *autem*, quod tertio loco post pron. ponitur, notatur. Quomodo hoc intellectum uelim, hac interpunctione ostendi potest: *Vilicus, is autem —*; h. l. *is* nisi hoc modo intellegi non potest.

Alia ratio est duorum ceterorum exemplorum: Am. 994 *Siquid patri uolupest, uoluptas ea mi multo maxumast,* Cp. 358 *Quod bonis benefit beneficium, gratia ea grauidast bonis.* Ea collocatio adhibita est in hoc, ut uoces *beneficii* et *gratiæ*, quæ inter se opponuntur, quam proxime ponerentur, in illo, ut *uolupe* et *uoluptas* continuarentur.

De pronominis IS in enuntiato collocatione.

In exemplis supra allatis, quæ pron. a substantiuo separatum præbent, aut pron. primum uerbum enuntiati est, aut uerbum præcedit, quod potiore iure locum primum occupat, ut coniunctio, uox interrogatiua, præpositio, cf. porro *te* (subi.) *eam* Aul. 689, *Iam ea te causa* Hc. 348, *ego in eum* Ph. 175, *hæcine erat ea quæ* 1013. Exceptiones paucæ sunt: Ep. 536 *qui monstret eum,* Pn. 75, An. 86. 799 *Eius morte ea ad me lege redierunt bona,* ubi pron. bis occurrit, Hc. 147, Eadem res est in exemplis allatis, in quibus pron. subst. ipsum antecedens uim peculiarem habet, si hæc excipiuntur: B. 143 *An hoc ad eas res,* 805 *Et te dixisti id aurum,* Cst. 171, Ht. 720, Ad. 272. In ceteris exemplis exceptiones frequentiores sunt, quamquam pron. solennem sedem in initio enuntiati habere apparet, et ut hunc locum obtineat, opera datur ex. c. R. 1157 *Dicedum In eo ensiculo litterarum quid sit.* Porro exempla haud rara sunt, ubi uerbum atonon, quod locum secundum petit, antecedit, quo facto pron. dem. in locum tertium retruditur, Aul. 15

qui mi id aurum, cf. Am. 113 *Et hæc ob eam rem nox;* aliud pron. subiecti uice fungens antecedit Am. 113, Aul. 201 *nunc hic eam rem.* Ea exempla, in quibus pron. in enuntiato interiore extat aliis uerbis, quæ minore iure anteponuntur, præcedentibus, apud Plautum non plura sunt quam uiginti quinque fere de ducentis pæne; apud Terentium ratio fere eadem est. Si exempla, ubi pron. cum substantiuo coniunctum non est, collecta erunt, idem sine dubio eueniet et fortasse melius apparebit, quia subst. suo pondere pron. aliquo modo cohibet; ex. c. affero St. 539 sq. *ei filiæ Duæ erant —. eæ erant duobus nuptæ fratribus.*

Causa cur *is* pron. initium enuntiati petat, ea est, quæ in prooemio commemorata sæpius est et in sermone quotidiano inprimis apparet: ab eo quod notum est initium capitur, et id quod pronomine *is* designatur semper notum est (nisi scilicet ad enuntiatum relatiuum sequens refertur). Hæc uis incipiendi præcipue in narrationibus apparet, cum *is* primum uerbum enuntiati est et coniunctio omittitur ex. c. Am. 100 *Is nunc Amphitruo* etc. et iis locis, ubi pron. in unum comprehendit omnia quæ antea dicta sunt, ut ex. c. As. 73 *Eos — mores*, Tc. 473 *Eam nunc malitiam*[1]). Multa alia prætermitto, neque causas, cur pron. interdum recedat, hic persequi possum, licet magni sit momenti.

HIC.

Subst. ipsum antecedit	apud Plautum	582,	apud Terentium	230
a substantiuo separatum antecedit	»	230,	»	77.
subsequitur	»	111,	»	82.
uerbis interiectis sequitur	»	23,	»	8.

Ex his numeris *hic* pron. apud Terentium sæpius postponi quam apud Plautum, rarius autem a substantiuo disiungi apparet. Subst. ipsum antecedens interdum ui præcipua effertur; et quod, ut iam commonui, uis semper quædam inest, quæ interdum præcipue augetur, pron., etiamsi uis non maior quam solita est, ad subst. se non tam arte applicat. Quare pron. *hic*, etiamsi ui præcipua non effertur, a substantiuo disiungi potest. Quam ob rem in uariis collocationibus adhibendis in hoc pronomine poëta non tam ponderis et significationis rationem habuit, quam rerum aliarum ut rei metricæ et collocationis ceterorum uerborum. Hæ rationes exhiberi non possunt, nisi exempla singillatim excutiuntur, quod in tanta copia uix fieri potest; — saltem fructus non tantus erit, quantus labor.

Ea igitur exempla, ubi pron. subst. ipsum antecedit, silentio prætermitto; de aliis notabilia sola afferam, ex quibus rationes collocandi ne in hoc quidem pronomine plane obscuratas esse apparebit.

Pronomen HIC a substantiuo separatum antecedit.

Vis huius collocationis in eo deprenditur, quod pondus præcipuum in his exemplis pronomini sæpius additur. Sic est, cum *quidem* sequitur Am. 736 *Non de*

[1]) Cf. BACH, l. l. p. 351.

piat urnam. Cetera exempla pronominis sequentis, ubi sine dubio cum gestu agendum est, sunt triginta. Aliis locis sic agi potest, quamquam de eo ambigi potest, ex. c. *fores hæ* Pn. 609, cf. Tn. 1124; Ht. 527, 1001, Eu. 282 etc. Hoc cum eo bene consentit, quod p. 11 dictum est; nam manifestius res designari non potest, quam si manu monstratur, nec multo minus manifeste monstratur, cum *hic* ad enuntiatum sequens spectat. Cur pron. *hic* hanc significationem habens postponatur, difficile explicatur; ratio plane alia est atque in possessiuis, quæ substantiuo præcedenti atona subiungi solent.

Apud quædam uerba hic ordo magis frequentatur, quamquam pron. etiam interdum antecedit. *Condicione(m) ha(n)c* semper, quater; *præda hæc* ter; *hanc prædam* bis; *annum hunc* ter, sed semel *hunc annum; triduom hoc* quinquies; altero ordine ter; *nocte hac* quinquies, sæpius *hac nocte.*

Sed ex his exemplis pron. sine discrimine utroque loco collocari posse apparet.

Pronomen HIC uerbis interiectis substantiuum sequitur.

Quod de allatis exemplis subsequentis pronominis dixi, etiam magis de pronomine sequente a substantiuo disiuncto ualet; nam pauca sunt, nisi aut pron. gestus subsequi debet, aut ad enuntiatum sequens spectat. Rem gestu monstrantis sunt 16, ex. c. Aul. 385 *tusculum emi hoc*, B. 728 *Cape stilum propere et tabellas tu has tibi.* Ad enuntiatum sequens in his spectat: primarium: Eu. 732 *Verbum hercle hoc uerum erit 'sine Cerere et Libero friget Venus';* secundarium: As. 281 *occasionem opprimere hanc, quæ* — et Cas. 817. De ceteris ex. debetur lusui uerborum Crc. 624 *nugatorem lepidum lepide hunc nactust,* chiasmo Ph. 352 sq. et Hc. 546 *Id nunc res indicium hæc facit.* Verbum atonon insertum est *ego* Ps. 99 et 584, *est* Ht. 318, *esse* Ph. 352, Ad. 348, *hercle* Eu. 732. Hæc duo restant: Ep. 161 *ita res subito hæc obiectast tibi*, Hc. 832 *filium inde hunc natum.*

ISTE.

Quamquam pron. *iste* ut *hic* forma et significatione grauiore est, ut uim quandam semper habere necesse sit, in *iste* tamen uis collocationum uaria magis apparet, præsertim cum pron. antecedens a substantiuo seiungitur, quamquam non semper uis aucta hanc collocationem sequitur. Interdum etiam pronomen subst. ipsum antecedens ui præcipua effertur, quamquam hoc rarius est.

Subst. ipsum antecedit	apud Plautum	196,	apud Terentium	46.
a substantiuo separatum antecedit	›	76,	›	23.
subsequitur	›	13,	›	14.
uerbis interiectis sequitur	›	6,	›	4.

Ex his exemplorum numeris *iste* ut *hic* sæpius apud Terentium quam apud Plautum subsequi apparet. Exempla, ubi a substantiuo separatur, tot non sunt, ut de iis certum iudicium feram; ratio facile computari potest.

ponderis causa factum esse apparet. Porro *talis* substitüi potest B. 160, Mrc. 982, Ps. 356 *Tu qui piu's, istoc es genere gnatus, nummum non habes;* Eu. 862, Ad. 732. Hæc exempla ab iis, quibus contemptus inest, separanda non sunt, cum in utrisque pron. ui pleniore imbuatur: hæc autem significatio apud comicos non tam conspicua est quam apud posteriores, et si adest, ira uel indignatio sæpe cum ea coniungitur. Sic homines meretrices horrentes de iis loquentes hoc pronomine utuntur B. 80 *ut solet in istis fieri conciliabulis,* 372, Pn. 265; cf. porro Aul. 198 *Ego istos noui polypos, qui* Mrc. 982, Mg. 293, 318, Mo. 47, 845, Tn. 297, Ad. 388, 836. Huc referri possunt etiam Mrc. 942, Mo. 572. Multo sæpius alii affectus animi pronomine *iste* exprimuntur, et ira inprimis. Compluribus locis Amphitruo iratus et Mercurius minas quam uehementissimas Sosiæ intendunt; omnibus locis *iste,* interdum *tuus* quoque, additur; in minis acerrimis etiam a substantiuo disiungitur Am. 285 *Ego pol te istis tuis pro dictis et malefactis, furcifer, Accipiam* —, 348, 557, 1033 (his locis etiam pron. poss. uel pers. additur). 589; cf. porro As. 698, Aul. 49, Mn. 520, Mg. 293; An. 760 *caue quoquam ex istoc excessis loco.* Indignatio elucet Aul. 746 *Cum istacin te oratione huc ad me adire ausum, inpudens,* 410, As. 932, Mg. 364, Ht. 590. Cum impatientia commixta est Mrc. 942 *Quin tu istas omittis nugas,* Mo. 572, Pn. 513, 514. Porro ubi is qui loquitur, simulac rem miratur, irascitur, Am. 609 *iste qui sit Sosia, hoc dici uolo,* Ht. 973 *Quæ istast prauitas?,* Eu. 656, Ad. 731 sq. Sed etiam huius pronominis exempla ui non aucta sunt, de quibus confer quod p. 50 de *hic* dixi. Verba atona inserta sunt; *sim* B. 1039, *'st* Pr. 516 una cum attributo. Aul. 165 et Tc. 535 uocatiuus intercedit. Cst. 49 (cf. p. 53 a. 2) et Eu. 695 pron. a sententia relatiua excipitur. Pron. anteire necesse est, cum non repetatur Cas. 384 *num ista aut populna sors aut abiegnast tua,* in omnibus excepto Crc. 224 unum uerbum inseritur — nam attributis Cst. 25 et Pr. 516 uerba disiungi non puto.

Restant 13 ex. ubi *iste* disiunctum uim præcipuam non habet.

Pronomen ISTE alio modo collocatur.

Pron. *iste* loco solito ante subst. ipsum collocatum silentio prætermittere licet. Nimirum hoc quoque loco uis quamquam raro augeri potest; ex. c. Am. 311, 820, As. 320 etc.

Pronominis subsequentis uis eadem est atque antecedentis; de exemplis disputare opus non est; uis augeri potest, ex. c. An. 317, ubi ira adest. Sed ea, ubi pron. a substantiuo separatum sequitur, afferre fortasse operæ pretium erit. Hominis uehementer irati sunt Aul. 53 *Oculos hercle ego istos, improba, ecfodiam tibi,* Crc. 195, R. 1059. Substantiuum ui maiore effertur: Mg. 770 *Dari istanc rationem uolo* # *At ego mihi anulum dari istunc tuom uolo,* Ps. 292, Ad. 814; An. 730 attributum magna ui effertur *Noua nunc religio in te istæc incessit.* Inter duo substantiua, quorum ad utrumque pertinet, extat pron. B. 540 *Multi more isto atque exemplo*

uiuont et Cp. 374; chiasmus adest Crc. 208 sq. et Mg. 770 sq.; uis solita esse uidetur An. 332 et Ad. 412.

ILLE.

Quæstio de significatione pronominis *ille* multo implicatior quam de ceteris esse uidetur, quod *ille* et pron. τριτότριτον est ad idem genus atque *hic* et *iste* pertinens et in similitudinem pronominis *is* abit[1]). Vt uideas, quam largiter adhiberi possit, operæ pretium est, Stichi uersus 539—566 pellegere; sed nos de collocatione præcipue agimus.

Subst. ipsum antecedit	apud	Plautum	144,	apud	Terentium	26.
a substantiuo separatum antecedit	»	»	73,	»	»	20.
subsequitur	»	»	23,	»	»	8.
uerbis interiectis sequitur	»	»	5,	»	»	1.

Pronomen ILLE a substantiuo separatum antecedit.

Vis pronominis particula *quidem* addita augetur St. 561 et Tc. 113 *Me illisquidem hæc uerberat uerbis.* Contrarium exprimitur uerbis R. 51 *Is illius laudare infit formam uirginis Et aliarum itidem*, Ps. 1030, R. 74; Eu. 659 sq. Ratio contraria e sententia elucet Am. 26 *ille quoius huc iussu uenio Iuppiter*, ubi Iuppiter histrionalis uero Ioui opponitur; item 627, Mg. 127, 131. Alia uis deprenditur ex. o. Am. 801 *Iam illuc non placet principium de osculo*, ubi uim *illuc* habere particula *iam* testatur, As. 244, 861 *Ego quoque hercle illum antehac hominem semper sum frugi ratus;* 16 ex. De ui aucta pronominis in quæstionibus cf. supra p. 47 eiusmodi sunt Cp. 829 *Quæ illæc est lætitia?*, Ep. 533, Mg. 361, Mo. 610, Pr. 545 Pn. 829. Tc. 917 *Quis illic ⟨est⟩ homo, est* recte insertum est. Interrogantis sunt porro hæc: Ep. 151 *Quid illa fiet fidicina igitur?*, Pr. 529, Pn. 468, Ps. 597, R. 491, 851, 1405. Cum his exemplis ea conferenda sunt, in quibus res uel homo diserte definitur et pron. *ille* id quod definitur demonstrat: Cp. 787 *Hic illest senex doctus*, Mg. 88, 155, Mo. 162, St. 196; in his homo quidam manu monstratur; commemoratur modo Mrc. 268 *hæc illast capra* et R. 771. Porro uis δεικτική conspicua est in uerbis *in illisce habitat ædibus* Am. 97, Cas. 36, Pn. 95.

In aliis ex. perspicuitatis causa pron. *ille* additur, quibus de exemplis cf. quæ p. 47 de pron. *is* dixi. As. 360 *nam si ille argentum prius Hospes hic affert*, Pn. 70, R. 81, 1405; ad hoc genus etiam referendi sunt uersus Stichi 543, (555; uersus non stat; Ritschl *fuisse illum* transposuit; alii aliter), 557, 565 (cf. autem u. 545 *senex ille illi dixit*); Ht. 197, 898, Eu. 916.

Pron. *ille* uim *talis*, nisi superuacaneum est, habere necesse est Ht. 127, cf. porro R. 1251, Ph. 629, Hc. 602 *Hanc matrem habens talem, illam autem uxorem*, ubi *talem* uoci *illam* respondet. Eu. 372 *Tu illis fruare commodis* i. e. tantis, quanta

[1]) Cf. Bach, Studia Studemvndi II, p. 292 et 315.

descripsisti u. 366 sqq. Indignatio admixta est Ep. 327, Ht. 751, Ad. 448 sq. Cf. porro hæc, in quibus motus animi inest: Am. 1043 *Ego pol illum ulciscar hodie Thessalum ueneficum*, Aul. 662, R. 491, 1184, Eu. 302. Quindecim ex. restant ui non aucta. Nam hæc coniunctio uerborum *ille faxit Iuppiter* Am. 461, Mo. 398, Ps. 923, *nec me ille sirit Iuppiter* Crc. 27 potius appositiua, quæ dicitur, quam attributiua esse uidetur: ille faxit, Iouem dico. Si enim *ille* adiectiue dictum cum nomine dei coniungitur, illum Iouem a nescioquo alio discerni crediderit quispiam, ut reuera fit Am. 26. (Cf. tamen Verg. Æn. 7, 110 *sic Iuppiter ille monebat.*)

Pronomen ILLE substantiuum ipsum antecedit.

Pronomini *ille* subst. ipsum antecedenti raro uis peculiaris inest, ut Mn. 69 *Nunc ille geminus qui Syracusis habet,* distinguendi causa Mrc. 405 sq. *Quia illa forma matrem familias Flagitium sit si sequatur* i. e. tam eximia et pulcra. Affectus animi adest: Cst. 662 sq. *⟨quam⟩ illam anum inridere me ut sinem, satiust mihi Quouis exitio interire.* — Cf. præterea Cas. 778, Ep. 323 (chiasmus), Mg. 210, Mo. 193, 1158 (anaphora), An. 126 (item).

Vis exigua est, præsertim si pron. ad adi. substantiui uice fungens pertinet; quod etiamsi significatione pleniore quam noster articulus est, ei tamen sæpe proxime accedit[1]). Am. 37 *illi iniqui ius ignorant*, 818, Pn. 620, Tn. 493, 926; Eu. 643, Ph. 564, Ad. 360, 493, 692, 866. Interdum tamen uerba inseruntur: Aul. 489 *quo illæ nubent diuites?*, ubi in transgressione subiectum maiore ui effertur, B. 1154 Cp. 653 (ira), Ht. 310 *dic quæ illast altera*, Eu. 616 *hodie* inseritur ut Cp. 653, Ph. 582 *ille si me alienus adfinem uolet*, ubi ratio contraria *(filius tuus)* inest. An. 271 *Egon propter me illam decipi miseram sinam* uim pronominalem *ille* retinere uidetur (hon, den olyckliga). *Ille* adi. numquam sequitur nisi Ad. 624 *garrulæ illi* et An. 85 *Andriæ Illi* in chiasmo, quamobrem coniectura Fleckeiseni R. 22 *scelesti ⟨illi⟩* reicienda esse uidetur.

Pronomen ILLE substantiuum sequitur.

Si pron. *ille* subst. subsequitur, in magna parte exemplorum ad enuntiatum relatiuum sequens spectat ut Am. 1103 *puer ille, quem* —; 10 ex.; cf. Ad. 384 *diem illum, quom* —. Ad id quod sequitur spectat etiam Eu. 784 *consilium illud rectumst de occludendis ædibus*. Inter subst. et adi. ad subst. pertinens intercedit sexies ex. c. B. 836 *lecto illo altero*; inter duo substantiua copulata, quorum ad utrumque pertinet, inseritur Mrc. 269 *simia illa atque hædus* et Tn. 812.

De exemplis ubi pron. *ille* a substantiuo separatum sequitur, nihil certi dici potest. Subst. ui effertur Aul. 87 *Araneas mi ego illas seruari uolo* et *quoque* additur Tn. 753. Cetera hæc sunt: Am. 307, Ps. 910, Eu. 1015 sq. Num ad subst. *ille* referendum sit, ambiguum est Am. 625 *Sosia, inquam, ego ille.*

* *
*

[1]) Cf. Nægelsbach, Lat. Stil.[8] p. 44, Schmalz, Handb. d. klass. Alt. ed. Müller II[3] 2, p. 445 a. 4.

	Pron. rel.		Pron. interr.		Pron. indef. (et *ecquis*)	
	Pl.	Ter.	Pl.	Ter.	Pl.	Ter.
I. Pron. et subst. continuantur						
A. Coniunctiones uerborum solennes	38	13	167	63	3	—
B. Cetera exempla: in enuntiato elliptico	1	—	28 (31)	9	—	—
subst. subiectum est	3	1	8	2	8	—
» aliud membrum enuntiati	11	2	21	11	4	—
II. Pron. a subst. disiungitur						
A. Præpositio intercedit	16	17	54	38	—	—
Aliud atonon	10	2	42 (45)	11 (13)	2	1
Plura atona	—	—	13	3	—	—
B. Verbum non atonon intercedit:						
a. Pron. ad subi. pertinet:						
subst. in fine enuntiati extat	7	6	2	—	2	1
subst. non in fine enuntiati	9	2	—	—	4	—
b. Pron. ad obi. acc. pertinet:						
subst. in fine enuntiati	22	10	4	5	2	3
subst. non in fine enuntiati	7	3	1	1	5	2
c. Pron. ad aliud membrum enuntiati pertinet:						
subst. in fine enuntiati	4	4	5	6	—	—
subst. non in fine enuntiati	1	—	4	1	—	—
Subst. ante pron. ponitur	1?	—	3	—	2	—

Pronomen relatiuum

a subst. disiungi solet idque longius recedit, quod consentit cum rationibus quas attuli, cum enuntiatum a pron. incipere debeat neque causa adsit, cur subst. quoque præponatur. Hæc autem collocandi norma, quamquam a comicis satis seruatur, eo obscurata est, quod quibusdam de causis subst. quoque in initio ponitur, et hæc quidem exempla plura sunt. Primum subst. in initio post pron. rel. poni par est, cum ipsum quoque anaphoricum est, i. e. subst. uel rem aliquam refert et repetit. Sic se habet, cum in nostra lingua pro rel. ponuntur coniunctio et pron. demonstr.[1]), ex. c. uerba solennia *quæ res bene uortat;* sic sæpe *quæ res, quare* Ht. 26, Eu. 42, *quæ causa* Ph. 710, u. porro Am. 44, Cp. 96, 278, 413, R. 681. Verba atona inseri possunt: Aul. 561 *Etiam agnum misi* # *Quo quidem agno* —, B. 398, Crc. 619, Mg. 101, Ps. 1196; duo Ep. 121, Tc. 520, Ph. 678; his nescio an quodammodo adnumerandum sit etiam As. 2 *Quæ quidem mihi atque uobis res uortat bene.* Tantum duobus locis, ubi rel. hanc uim habet, subst. longius recedit: R. 1238 *esca inponitur, Quam siquis auidus poscit escam auariter,* Ph. 32. In ex. allatis interdum correlatum in en. rel. repetitur (Aul. 561, Cp. 413, R. 1238, Ph. 33); sic etiam in ueris en. rel. Ep. 41 *Est causa, qua causa* —, Ht. 20, Hc. 11; Mrc. 1016 *se* inseritur *legem — qua se lege teneant.* Enuntiatum rel. antecedit Ps. 318 *qua opera credam tibi, Vna opera* —, Ad. 854. Porro his exemplis ea similia sunt, ubi

[1]) Vis anaphorica ipsius pronominis augeri potest ut in pron. *is,* quamobrem *quidem* additur As. 2, Aul. 561, Ep. 121, Ph. 678.

quæ in nostra lingua appositio est in en. rel. latinum infertur, cuius rei Plautus certum ex. habet B. 214 *Etiam Epidicum, quam ego fabulam æque ac me ipsum amo, —* [1]).

Sed in plerisque ex., ubi subst. ad pron. rel. accedit, coniunctio solennis uerborum adest, quæ in en. interrogatiuis multo frequentior est, ubi subst. subsequi solere uidebimus. Tales sunt *quæ res, qui homo, qua causa, quo pacto, quo modo, qua uia, quo die, qua nocte.* Id quoque aliquid ualuisse par est, quod in his coniunctionibus uerborum subst. sæpe uim anaphoricam habet; sic inprimis *quæ res, qua re, quam ob rem.* Legum sermonem redolent *quo iure* An. 214 [2]), Hc. 11, *qua lege* St. 564, cf. Mrc. 1016. Si præpositio accedit, inseritur inter pron. et subst., *quam ob rem, qua de re, quibus in rebus* Hc. 308, *quo in loco, quem ad modum;* sed Terentius habet *in qua re* Ht. 1009, *ex qua re* Ph. 271, *in quo — ludo* Ph. 88. Etiam alia atona intercedunt: B. 398, Mn. 490 *qua me causa,* Mrc. 1016, Ps. 1196; Cst. 46, Ep. 121. His ex. recensis non multa restant, in quibus subst. quam proxime pron. ponitur [3]), ut aut subsequatur aut uerba atona intercedant: quorum pleraque enuntiata breuia sunt, Mn. 707 *accipiam quibus dictis meret,* Mrc. 93, Mo. 416, Pn. 193, Tn. 839, An. 733; ellipticum est Mg. 899. Longiora sunt Ps. 825 *Quas herbas pecudes non edunt homines edunt,* Tn. 427 b (u. spurius), Tc. 931, Ad. 593. Atona intercedunt Mn. 1129 *quod tibi nomen est fecit mihi,* Mrc. 978, Ht. 329, cf. B. 1016, quæ enuntiata satis breuia sunt.

In ex. ceteris subst. longius recedere solet, ut sæpius post prædicatum ponatur et enuntiatum claudat, præsertim si neque subiectum neque obiectum est, ex. c. Ph. 399 sq. *expediui quibus me oportuit Iudicibus;* sic disiungitur coniunctio solennis *qua gratia,* quod quin metri causa fiat, dubium non est, cum Aul. 435 in fine coli, Crc. 454 et R. 90 in fine uersus *gratia* extet. Mg. 83 subst. non in fine enuntiati extat, Aul. 435 acc. c. inf. sequitur. Obiectum acc. est in 42 ex. ut Am. 402 *Quod mihi prædicas uitium, id tibist,* quorum in decem enuntiatum non claudit ex. c. Am. 947 *quæ apud legionem uota uoui.* Subiectum quoque a loco solenni recedere solet; 24 ex. ut B. 941 *Tum quæ hic sunt scriptæ litteræ, hoc in equo | insunt milites.* Enuntiatum non claudit decies [4]); sed in omnibus his ex. tribus exceptis subi. post

---

[1]) Non igitur apud Ciceronem primum inuenitur (DRÆGER[2] § 475, SCHMALZ l. l. p. 372). Cf. etiam R. 9 *Quist imperator diuom atque hominum Iuppiter, Is —,* 1364, Eu. 19 sq., Ph. 24 sq. DRÆGER idem contendit de attributo § 474; uide autem Crc. 202 *Cedo mihi contra aurichalco, quoi ego sano seruiam,* Aul. 461, Eu. 103.

[2]) An. 213 sq. *causam ceperit, Quo iure quaque iniuria præcipitem in pistrinum dabit;* sed cum conexus satis obscurus sit, forsitan leui correctura uti melius est, *Qua iure* etc.; cf. R. 1069 etc.

[3]) Huc etiam pertinet ex., ubi subst. antecedit Mg. 597 sq. *ne uspiam insidiæ sient, Consilium quod habere uolumus.* Cum autem h. l. »attractio inuersa» non esse possit, quod subst. propius prædicatum enuntiati primarii extat et enuntiata artissime coniuncta sunt (non ita Ht. 724), nescio an corrigendum sit *Consilio, quod* (uel *Consilium quom*). Nam cum LINDSKOGIO (Über die sog. Attr. inu., Eranos I (1896)) illa attractione explicandi sunt ceteri loci (etiam Aul. 595 et Pn. 1185), ubi pron. rel. sequi censent PÆTZOLT (Diss. Vratislauiæ 1873, p. 18) et BERTELSMANN (Diss. Ienæ 1885, p. 33).

[4]) Hc. 137 interpungere malim *Quæ consecutast nox, eam nihilo magis* (sc. attigit), R. 248 *quæ mea oratiost* correctum est e *mest oratio.* Forsitan huc referas etiam As. 2.

prædicatum ponitur. Præterea notandus est acc. c. inf. Eu. 946 ***Quæ futura exempla dicunt in eum indigna.*** In omnibus igitur his ex. studium adest subst. in fine enuntiati ponendi, quod etiam magis appareret, si occasio adesset, ut de singulis disputarem; nam sæpe aliæ causæ ut metrum etc. effecisse uidentur, ut substantiuo alia uerba summitterentur, u. ex. c. Cp. 180, Crc. 296, Mrc. 463, Mg. 1114, R. 1238; Pr. 7. Hoc ita fieri uerisimile est, ut appareat uerba, quæ a pron. rel. et subst. cinguntur, inter se pertinere, et enuntiatum in unum comprehendatur; cf. p. 6. Sed in en. interr. infra uidebimus subst. in initio prope pron. interr. poni solere. In iis enim subst. quoque uim peculiarem habet, quod de eo quæstio agitur. Præterea nescio an e natura en. relatiui hoc pendeat. Sunt enim ex., ubi ægre discernatur, utrum subst. ad en. primarium an ad relatiuum pertineat, quamquam ea sola nobis dubia uidentur, in quibus pron. dem. in en. primario additum est ex. c. As. 746 ***istum ostende quem conscripsti syngraphum,***[1]) sed cf. cum his Tc. 275 ***Ligneæ hæ sunt quas habes Victorias.*** Multo plura ex. sunt, ubi subst. potest ad en. primarium referri ex. c. Ps. 550 ***disturba quas statuisti machinas;*** quodsi pron. demonstr. notionem repetit ut Am. 402 uel si casum alium in en. primario esse oportet ut Tc. 275, dubitari non potest. In omnibus his ex. subst. quodammodo ad ambo enuntiata pertinet — nihil interest notionem ponderis uel perspicuitatis causa pron. anaphorico repeti —; quod ut appareat haud ab re abesse uidetur subst. quasi in confinio enuntiatorum poni, ubi, si per casum licet, ad utrumque referri potest — eiusmodi locus est non modo ex. c. B. 578 ***quæ harunc sunt ædes pulta,*** sed etiam ex. c. Ps. 550 —; uel ut ita dicam, en. primarium subst. quasi ad se attrahit [2]).

Pronomen interrogatiuum.

Inter enuntiata interr. et rel. apud comicos interdum ægre discernitur, sed hoc ad nostram rem fere nullius momenti est, quod in en. dubiis longe plerisque coniunctiones solennes sunt, quæ et in rel. et in interr. eandem collocationem seruant [3]). Iam dixi non solum pron. interr. sed totam coniunctionem attributiuam in qua inest ui efferendam et anticipandam esse, quod reuera quæritur de subst., ad quod pron. interr. pertinet. Quamobrem par est pron. interr. a subst. excipi aut uerba atona tantum intercedere, quæ loco secundo sæpissime ponuntur. Hæc

[1]) Ex. u. p. 48 et 53 a. 2.

[2]) Quod etiam hoc modo, quamquam uereor ne spinosius, exponi potest. En. relatiuum est en. attributiuum. Attributum ante subst. antiquitus ponebatur, quamobrem collocatio iusta est ex. c. R. 965 ***qui inuenit hominem noui;*** si subst. in constructionem en. relatiui infertur, eodem loco manet. In medio sunt ex. ut Hc. 241 ***quæ uobis placitast condicio datur;*** res apparet in ex. ut Crc. 433 ***ut ei detur quam istic emi uirginem.*** Interdum attr. adiectiuum in en. primario manet ex. c. Cp. 179 sq. ***nisi qui meliorem adferet Quæ mihi atque amicis placeat condicio magis.*** Hoc modo fines inter en. primarium et rel. inprimis incerti fiunt ex. c. Hc. 574 ***Ipse eripuit ui in digito quem habuit uirgini abiens anulum.*** Sed longum est exponere rationem, quæ inter en. primarium et rel. intercedit; dissertatio BERTELSMANNI non sufficit.

[3]) «Enuntiata relatiua, quæ interrogationum obliquarum speciem præbent», enumerat BECKER, De Synt. interr. obl., Stud. STVDEMVNDI I, 1 p. 305 sqq., quæ conferas uelim.

enim uerba aptissime inseruntur inter pron. interr., a quo enuntiatum incipere solet et quod, ut uerbis Prisciani utar, «suos seruat accentus» — rel. contra «in lectione graui accentu pronuntiantur» — et subst. Ne duo accentus acuti concurrant, in quibusdam coniunctionibus solennibus subst. encliticum fit, quod de uocibus *rei* et *modi* LINDSAY uidit, quibus adiungenda est uox *hominis*[1]). Porro frequentes sunt hæ coniunctiones uerborum: *quo pacto*, *qua(m) causa(m)*, *qua gratia*, *qua facie*, *quis homo*. Cf. *qua lege* St. 504, *quo die* Tc. 318, *qua ratione*, *qua uia*. In multis ex., ubi pron. interr. a subst. excipitur, enuntiato elliptico non nisi pron. et subst. extant (28 ex.)[2]), uel unum uerbum accedit (9 ex.), ex. c. As. 302 *Quo argumento istuc?* + *Ego dicam quo argumento et quo modo*, Eu. 590 *At quem deum!* De ex. ceteris coniunctio attributiua subiectum est in 10, ex. c. Am. 362 *Quis erus est igitur tibi?*, obiectum acc. in 13, ex. c. Mg. 198 *quem dolum doloso contra conseruo parem*, aliud membrum orationis in 19, ex. c. Cp. 295 *quo genere gnatus sis scio*[3]).

Plerumque autem rhytmus orationis seruatur atonis insertis. Sic inseritur *nam* ex. c. *quonam modo* sæpius, *ne* Aul. 68, *que* Pn. 1246, et præter cetera uerba præpositiones, quæ postponi possunt, etiamsi subst. longius recedit ex. c. Crc. 467 *Commonstrabo quo in quemque hominem facile inueniatis loco.* Sed apud Plautum semel anteponitur (Ep. 143), iam quater apud Ter., apud quem nisi in coniunctiones solennes semel inseritur (Ph. 57). Huc pertinent coniunctiones solennes *quam ob (ad) rem*, *quem ad modum*, *quo in loco* etc.; præterea 12 ex. ut Ep. 597 *Quibus de signis agnoscebas?* Porro sæpe inseritur pron. pers. ex. c. *quis tu homo's* Crc. 412 etc., *quæ te mala crux agitat?* Aul. 631, *hic* ex. c. Mn. 289 *quibus hic pretiis porci ueneunt —?*, formæ uerbi subst. ex. c. *qui sit homo nescio* Tn. 849, *malum* quater, ex. c. *Quas, malum, nugas?* Am. 604, cf. *obsecro* Aul. 733 *Quo obsecro pacto esse possum? quisque* ter, ex. c. Tc. 778 *quo quicque pacto sitis confessæ scio.* Duo atona intercedunt ex. c. Am. 1028 *quis tu's homo?*, 592 *quo id, malum, pacto potest nam —?*; haud raro *nam* et præpos. ex. c. B. 190 *Quemnam ad modum?* Tria Mn. 402 *quam tu mihi nunc nauem narras?* Cum his conferenda sunt pauca ex., ubi alia uerba intercedunt si non atona, at leui accentu prædita: Mo. 466 *aut quam subito rem mihi adportas nouam?* Pn. 820 *quæ illic hominum corruptelæ fiunt!* (*h.* est attr.) Ps. 803, Ht. 883, Ph. 135. Videmus uerba atona sæpe coniunctiones solennes disiungere.

---

[1]) LINDSAY, De lingua latina III, 12 a, 3. Quod ictu confirmatur, quo hæ uerborum coniunctiones feriuntur. Vox *rei* cum pron. *qui* (rel. uel interr.) coniuncta (*quæ res* etc.) numquam tali loco uersus legitur, quali unum uerbum eiusdem formæ extare non licet; *quam ób (ád) rem* Plautus semper sic acuit; apud Ter. 7 ex. excipiuntur, quorum unum in pede interiore (Ph. 715). Item res se habet, si pron. *is* cum *rei* uoce coniungitur; accedit quod numquam separantur. Vox *modi* se ad pron. semper ita adiungit, ut syllaba *mo-* ictu careat nisi 5 locis (et forte Tn. 236) quorum Mg. 1206 et Pr. 648 una uox eiusdem formæ illicita est (qua in re cf. *quídem*, *hæc quóque* Mg. 999 etc.), nec uox *hominis* cum pron. *is* et *hic* coniuncta nominatiuo casu in prima syllaba ictum habet. Item semper pron. *qui* antecedente nisi in initio uersus Crc. 531 *Quoi⟨i⟩ hómini.*

[2]) Adde Mn. 321, Mg. 987, Tc. 169, ubi uox tertia recte eicitur.

[3]) An. 613 *qua fiducia* mss. metro non conuenit; FLECKEISEN *audacia*.

Iam dixi pron. interr. contra ac rel. raro pluribus uerbis insertis a subst. disiungi; quodsi norma utraque non semper stricte seruatur, mirum non est, cum enuntiata inter se sæpe ualde finitima sint. Tamen præsertim si pron. interr. et subst. subiecti locum tenent, rarissime longius disiunguntur; ex. sunt Mn. 322 *Quod te urget scelus?*, Am. 153 *Qui me alter est audacior homo* —, ubi attr. statim sequitur, subst. pæne superuacaneum in fine additur. Aul. 810 *Quis me Athenis nunc magis quisquamst homo* synchysis quædam adest. Plura ex. sunt, ubi pron. et subst. sunt obi. acc. ex. c. Mg. 1344 sq. *quem amplexa sum Hominem?*, Eu. 179 sq. *quam ioco Rem uoluisti a me tandem quin perfeceris?*, uel aliud membrum orationis ex. c. As. 652 *Quo nos uocabis nomine?*, Aul. 259 *scio quo uos soleatis pacto perplexarier* In his enuntiatis ut in relatiuis subst. enuntiatum claudere solet, sed animaduertendum est plerumque unum uerbum inseri, ad quod atona interdum accedunt; subst. longius recedere perrarum est: Cst. 89 *Quo is homo insinuauit pacto se ad te?*, Crc. 467 (u. p. 61), Mrc. 702 *Em, quoi te et tua quæ tu habeas commendes uiro!*, quod etiam ut en. rel. intellegi potest, Ad. 149.

Pron. interr. his locis postponitur: Am. 201 in chiasmo *Sed quo modo et uerbis quibus me deceat fabularier — uolo hic meditari*, Aul. 777 sq. *Si me nouisti minus Genere quo sim gnatus* —, Tn. 283.

Pronomen indefinitum

atonon affigitur ad *si*, *nisi*, *ne*, *num*, *an* (Cst. 669) nisi Ps. 29 *An obsecro hercle habent quas gallinæ manus?* Subst., si subi. est, subsequitur (quater, item quater *ecquis*) ex. c. Mo. 920 *nequa causa subsiet*, sed uerbum atonon *forte* inseritur St. 152 *si quæ forte ex Asia nauis — uenerit* (*e. A.* mihi attr. uidetur esse), Eu. 287; item membrum orationis, quod ponderis causa promouetur, Ep. 290, Ps. 155, 1292 *si qua in hoc spes sitast mihi* (sic *ecquis* Mn. 135). Subst. claudit en. Ps. 71, R. 374 *siquæ improbæ sunt merces*, Tc. 344, Eu. 521, ut in en. relatiuis; præterea plura uerba intercedunt Cp. 792, Tn. 146. Coniunctiones solennes sunt Pr. 449 *si quam rem*, R. 1193 *si quoi homini*, St. 642. Variant ex., ubi obiectum est. Subst. subsequitur Cp. 390, Pn. 1044, R. 313, 316 sq.; a pron. disiunctum en. claudit An. 212, 739, Ht. 927 (*ecquis* Ep. 441); ab aliis uerbis excipitur Eu. 616, 963 (*ecquis* sexies ex. c. Crc. 341 *ecquem in Epidauro Lyconem tarpezita nouerim*). Quamobrem quamquam forsitan cautius sit iudicium sustinere, subst. poni uidetur, quasi attributum non habeat, etsi aliquid ualeat similitudo ceterorum enuntiatorum, ubi *qui* extat. Si subst. ui præcipua efferendum est, ante pron. poni potest, Am. 941 *Verum iræ si quæ forte eueniunt huiusmodi* —; sed eo conexum laxari apparet Pn. 16 *Scortum exoletum nequis in proscænio Sedeat* , ubi adest synesis generum, qua *quis* fem. pro neutro ponitur.

* *
*

Ergo pron. *qui* in initio enuntiati semper fere ante subst. locum habet; subst. id subsequitur in coniunctionibus uerborum solennibus, nisi atona inseruntur; alias autem studium apparet, ut subst., quod ad rel. pertinet, recedat et in fine quidem enuntiati sæpe ponatur, quamquam similitudo enuntiatorum efficit, ut discrimen non stricte obseruetur. Pron. indef. pauciora ex. præbet, quam ut de eo aliquid certioris statuatur.



Corrigendum:

P. 12 l. 8 a summo *pro* c) 125 *lege* c) 25.

(Typis impressum a. d. XII Kal. Mai MDCCCCI.)



